
V
B
J
C

DE IESV CHRISTI DIVINITATE, Et remiſsione peccatorum noſtrorum per eundem parta,

DISPVTATIONIS

Inter JOANNEM STOIENSKI Miniſtrum Evangelii, & JOANNEM MARIAM Italum Carmelitam, Lublini in æde Carmelitana Anno 1616. die 13. Julii publicè habitæ,

RELATIO

ab eodem JOANNE STOIENSKI cœtus Lublinenſis Miniſtro conſcripta.

Huic additæ ſunt notæ, ex quibus, quid de Carmelitana ejuſdem Diſputationis editione ſentiendum ſit, intelligi poteſt; unà cum refutatione eorum, quæ adverſus ſanctiſſimam Evangelii veritatem Carmelita tunc [illegible]blicè declamavit, nec quicquam ad ea convellenda Miniſtrum proferre [illegible] eſt: quemadmodum ipſe in ſua editione apertiſſimè fatetur.



RACOVIÆ,
Typis STERNACIANIS.
Anno 1618.

HIERONYMVS A MOSCOROW MOSCOROVIUS Christiano & erudito lectori.

HAbes, Christiane & erudite lector, disputationem Lublini cum Carmelita Ioanne Maria Italo in æde Carmelitana Anno 1616. die 13. Iulii ab uno e nostris hominibus habitam, ab eodem, quantum is memoriâ consequi potuit, conscriptam. Ad quam ut non ultrò, ne cuiquam molesti essemus, aut ambitiosi videremur, aut ne factum quisquam nostrum secùs ac vellemus interpretaretur, descendimus, sed magna modestiæ in disputatione servandæ, & securitatis futuræ spe, multis promissis nobis a Carmelitis facta, invitati; ita nihil minùs, quàm ut ea publicè ederetur, cogitavimus, rati idem Carmelitam facturum, quod antea DD. Dominicani, imò & ipsi DD. Iesuitæ fecissent, qui cum nostris hominibus disputationes non ita pridem habitas typis non evulgassent. Argumentum ejus rei fuerit disputationis nostræ initium. Etenim si de edenda disputatione cogitassemus, scribas publicè utrinq; deligi ab initio rogassemus, qui argumentationes & responsiones exciperent, & exceptas publicè recitarent, ne qua suspicio fraudis aut erroris subesset. Cùm id non fecerimus, cordatos perspecturos facilè arbitramur, nos, ut ea ederetur, nunquam in animo habuisse: nec minùs expensuros esse, an substitutus privatim a Carmelita scriba, quo veritatem hujus disputationis Carmelita niti vult, cùm juratum in ipsa inscriptione vocet, vacare suspicione possit; an omnia assequutus sit, an dextrè conceperit, & nihil prorsus postmodum immutarit. Atq; etiam ut appareat, quantum ea res momenti in præsenti negotio habeat, quòd Carmelita juratum eum notarium vocet, a cordatis hæc expensa velim: primùm, quòd idem scriba, juratum se quondam *fuisse notarium, ad calcem disputationis a Carmelita editæ scripserit. Deinde quòd, etiamsi juratus fuerit, ad consignanda quondam publica instrumenta, non autem ad præsentem actum disputationis juratum fuisse, res ipsa manifestè doceat. Vt ut autem sit,*

tem sit, quoniam Carmelita eam disputationem edidit, necessitatē quandam nostro authori edendæ disputationis hujus impositā fuisse, erudite lector, animadvertis: tum ut ex collatione utriusq; & ipso rerū nexu, veritatem rei gestæ faciliùs perspiceres; tum ut ad ea Carmelita, ad quæ responderi sibi in sua æde passus non est, responsum acciperet; inprimis verò ut veritas divina a sophismatis illius, quibus eam intricare voluit, extricaretur & vindicaretur. Et sanè in eo toti sumus, ut veritas divina, pietatis solidæ, quâ Dei Christiq; verus & genuinus cultus potissimùm continetur, propagatrix certissima eaq; sola, per nos cum in omni vita, tum in ejusmodi congressibus obtineat. Hos triumphos optamus, ut Christo Deoq; ac veritati divinæ suus constet honos; id solùm quærimus: de colloquiis & disputationibus nostris si sermo incidat, rem quemadmodum acta est, & quoad ejus fieri potest quàm verissimè referre annitimur; nihil prorsus adversariis nostris prudentes & scientes detrahimus, nihil dissimulamus, aut quod testimonio debito ornandum sit reticemus: utut illi multa in nos congerant, & nobis nescio quæ affingere nihil vereantur. Nec enim, præeunte nobis Apostolo, quicquam contra veritatem licere nobis existimamus, sed pro veritate. Idem institutum authorem nostrum virum nobilissimum, in narratione hujus disputationis servasse, erudite lector, deprehendes; maximè si illius disputationem cum Carmelitana contuleris. Qua quidem de re parciùs scribimus, ut integrum tibi judicium relinquamus. Aliorum enim judiciis scripta nostra libenter submittimus. Vt verò uterq; sese gesserint in disputando, & si ex scriptione utriusq; disputationis facilè observes: tamen illud silendum non videbatur: cum in disputationis progressu Carmelita respondere minùs aptè & verè videretur, & illud petitâ veniâ notare ipse vellem, Carmelita magno cum clamore excepit: Non patiar loqui; meum est templum, *&c. Secundò, abrupta magis quàm finita disputatione, concionem prolixam instituit, & loco disputationis persequutus est, ad quam ne hiscere quidem nos passus est; imò multùm adversus nos debacchatus, auditores etiam adversùm nos concitare, & animis eorum faces contra nos admovere, nihil est reveritus. Hæcné illa erat modestia, hæc securitatis cautio nobis per illius socios ante dis-*

putatio-

putationem promissa? Quantum hæc aberant ab ea humanitate, quam nobis Collegium Dn. Dominicanorum perpaucos ante dies in disputatione publica in æde sua exhibuerat, imò quam ipsorum Dn. Iesuitarum Collegium ante annum erga nostros homines, ut accepi, satis amplè declaraverat. Nimirum docuit Carmelita, longè facilius esse, habitu exteriore præ se ferre modestiæ & humilitatis speciem, quàm perturbationes animi reprimere, & affectus Christo & ipsius Evangelio dignos induere. Quin etiam a me admonitus, cum e suggesto descendisset, factus mihi obvius, quòd etiam leges a se præscriptas non servasset; nihil ad hæc respondit. Quid? quòd in eadem disputatione a se edita toties applausus commemoret, quos fuisse ullos vix probaret. Applausus ergo nos Apostolus quærere voluit, dum ne simus inanis gloriæ cupidi vetuit? Sed tu longè meliùs, Christiane & erudite lector, quid ex his colligendum, & de his statuendum sit, ipse perpendes. Dominus autem Iesus, cujus de honore & divina illius veritate agitur, præsentem causam suscipiat, eamq; ad suam & Patris gloriam & multorum salutem promoveat. Amen.

Quòd verò hæc disputatio serò prodeat, in causa hæc sunt: quòd auctor de ea edenda, antequam disputatio Carmelitana in publicum prodiret, nequaquam, ut paulo antè innuimus, cogitasset. Deinde quòd eâ conscriptâ, tum ob suas, tum ob eorum qui disputationi interfuerant, cum quibus conferre ea de re voluit, occupationes, locorum intervallis satis longè dissitus, conferre non potuerit. Huc accessère & iter ipsius satis longum & diuturnum, anno superiori gravium cœtus nostri negotiorum causâ susceptum, & quòd officina nostra typographica, scriptis aliis per justum tempus occupata, huic disputationi vacare non antè, quàm illis absolutis, quiverit. Sed sat citò, si sat bene, ait ille. Vale in Domino, fide & spe invictus, & incitatissimo cursu ad supernæ illius vocationis βραβεῖον contende.

DE

Ej

P

fieri pos
ditione
cui posse
quam (i
set, super
re, cum
pectent
omnia,
quid om
deposceb
sionem i
micorum
nem susc
tores am
ctus eva
versutia
tria, dun
tem susti
Theses il
solùm si
ea inten
scutiant
dicent,
tis, cla
veritat
natural

1618

DE IESV CHRISTI DIVINITATE:

Ejusdemq; pro peccatis humani generis Satisfactione.

DISPVTATIO.

Posteaquam Monachi preces suas absolvissent, conscendit cathedram Carmelita, seq; signo crucis, quod vocant, signavit. Vt verò sibi auditorum benevolentiam conciliaret, & in ipso statim disputationis limine bonam caussam, quoad ejus fieri posset, suspectam redderet, ad eum ferè modum, qui in ipsius editione habetur, præfatus est: *Quamquā primo aspectu videri alicui posset, Illustrissime Senator, Nobilissima & gravißima concio, quamquam (inquam) prima fronte haud difficulter persuadere quis sibi posset, supervacaneum esse, aliquid ante disputationis ingressum præmittere, cum & Auditores parati sint, & veritatis impetitores expediti expectent oppugnandi facultatem, ut propterea, cùm jam parata sint omnia, nihil amplius immorandum esse videatur: nihilominus ut aliquid omnino præmitterem; res ipsa, & negotium grave, quod agimus, deposcebat; desiderium vestrum, quo illustrationem veritatis, & conversionem inimicorum veræ fidei exoptatis, impellebat; ipsorum deniq; inimicorum mores, omnino cogebant. Deposcebat planè actus ipse, ut rationem susceptæ disputationis paucis aperiam; impellunt vota vestra Auditores amplissimi, ut de quibusdam commoneamini, ut disputationis fructus evadat uberior: deniq; cogit omnino impugnantium tenacitas & versutia, ut modum disputationis legitimæ, breviter ostendam. Hæc ergo tria, dum breviter perstringo, enixè peto, patienter, ac benevolè, dicentem sustinete, ac excipite. Primò, omnibus notum sit, nos non eo animo Theses illas duodecim, ad calcem Assertionum addidisse, quasi probabiles solùm sint; sed quasi evidentes in fide, de quibus dubitare liceat nulli; nec ea intentione huc accessisse, quasi aßerta fidei acriùs examinentur, ac discutiantur, ab Hæreticis, quàm a Catholicis; aut quasi, ea omnia, quæ isti dicent, Doctoribus Catholicis nota non sint: sed præsertim, ut illis auditis, clariùs veritas appareat, & magis confirmentur omnes fideles in veritate Catholica: & ut (si fieri poterit) lux aliqua ab ipsa divina, ac naturali Christi potestate, ac divinitate, quam impugnant, contrariis adfera-*

adferatur. Ad vos autem auditores ornatissimi sermonem converto. Planè novi prudentiâ & gravitate vos plurimùm pollere, ut propterea supervacaneum videatur, vos de aliquo commonere. Solùm ergo unum aperiam, & alterum petam. Credant adversarii nostri, nos esse similes illis, qui asserta nostra, derisionibus, & tumultibus, non veritate ipsa muniamus: & propterea adeo nos exosos habent, ut ad certamen nobiscum descendere, hoc uno titulo se excusantes, detrectent. Ridicula sunt, quæ proferunt, fateor, & quæ derisibilia esse, prudentia ipsa suadet; attamen, quoniam nec in nobis, nec in ipsis esset utilitas, si irrisionibus (ut objectionum indignitas postulat) locus concederetur; nam nec res illustraretur, nec ipsi veritate manifestissimè apertâ, viderent errores suos: ideò obnixè peto, ut risum pro viribus contineamus, & ad tempus aliud transferamus; non quod eorum objecta risu digna non sint; sed quia risui non multum nunc indulgendum, si fructus ex disputatione uberior desideratur. Et hoc quidem habui, de quo rogarem vos, amplissimi auditores, certus, quòd silentium, & attentas aures, etiam non rogati, porrigetis. Demùm, quantum ad ordinem, ac modum disputationis attinet, quoniam Catholicæ veritatis adversarii, ex publicis certaminibus semper popularem, & multò magis Equestrem auram captitare anhelant, & quandocunq; premuntur vi argumenti, vel solutionis, nesciunt quomodo in forma instent, imò tegunt se cavillationibus, ac tergiversationibus, dicentes, doctrinam traditam non esse ad rem, vel non responderi ipsis in forma; sciant omnes, id quod universi periti docent, & omnes, qui vel primis labiis Logicam degustarunt, experientiâ, ac majorum præceptis convicti fatentur, rectum modum argumentandi in hoc consistere, ut arguens quidem non intermisceat verba impertinentia, nec orationes proferat, sed argumenta in forma prolata, per hæc verba. Probo majorem, Probo minorem, vel consequentiam, vel deniq; contra distinctionem, pro ut defendens responderit. nam alia omnia, quæ a contrariis intermisceri solent, non sunt in forma, unde protestamur, nos nihil responsuros, nisi hoc modo procedatur. Defendentis verò partes sunt, in forma respondere, fideliter argumenta repetendo, & subdendo, vel cõcedo, vel nego, vel distinguo; nec tamen extra rem est, sed omninò necessarium: ut, quandocunq; oportuerit, ostendat fundamentum, quod habet ad negandum, concedendum, vel distinguendum. nam aliàs disputatio, confusionem potiùs, quàm claritatem pareret. Hoc autem tantò efficaciùs efficiet, quantò evidentiùs demonstrabit, sive ad hominem, sive ex certis principiis, quàm fundatè procedat. Non ergo dum hæc fecerimus,

rimus, dicant, nos non in forma respondere. Quod si his non acquiescent, acquiescant ad minùs exemplo Christi, qui hoc modo disputandi usus est. Nam cum Matthæi 21. disputaret cum Iudæis, inquirentibus in qua potestate hæc faceret, antequam responderet directè, dixit: Interrogo ego vos unum sermonem, quem si dixeritis mihi, & ego dicam vobis in qua potestate hæc faciam, Baptismus Ioannis unde erat; e cælo, an ex hominibus? *Hoc autem Christus meritò fecit, quia erat necessarium, ad magis, adversarios convincendos: eadem ergo forma argumentandi utamur & nos.*

Reliquum est, ut tu ô Regina clementissima Mater nostra, nostræq; religionis specialiter Patrona, me ultimum & indignum famulum tuũ, ita corroborare in præsenti digneris, gratiâ a filio tuo mihi impetratâ, ut valeam defendere dignitatem tuam planè infinitam, quòd, nimirum, sis mater Dei veri, supra omnes mulieres: adesto mihi, ut defendam honorem filii tui, contra eos, qui ei divinitatem veram, & connaturalem auferre volunt, Tu quæ cunctas Hæreses sola interemisti.

Sed & tu dulcissime Domine Iesu, quem confitemur tanquam verum, & connaturalem Deum, idem in natura cum Patre, adsis mihi divinâ & connaturali potentiâ tuâ, ut divinitatem tuam tueri valeam, ut adversarii isti tui, ac nostri, divinitatis tuæ dexterâ confundantur, & convertantur ad te. Descendamus ergo ad certamen. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Ad hanc Carmelitæ præfationem, respondit rogatu fratrũ GENEROSUS DOMINUS MOSCOROVIUS:

Quoniam Reverentiæ Vestræ præfationem præmittere disputationi futuræ placuit, respondere illi necessarium existimamus. Qua quidem in præfatione, Illustrissimum Senatorem, Nobilissimos Viros, & Reverendos Dominos, ac universam concionem, cùm tribus de reb⁹ commonendum sibi censuerit, primò de fine disputationis hujus; secundò quemadmodum Auditores sese gerere debeant; ac postremò quem modum in disputando servare conveniat; ad singula paucis respondemus. Quãtum igitur ad primum caput attinet; si ad eum modum animatæ sunt Reverentiæ Vestræ, conclusiones suas ita veras esse, ut nulla ratione de iis dubitent; sciant, & nos de nostra sententia, quæ thesibus Ipsarum, quas ad examen revoca-

revocaturi sumus, ex adverso opposita est, plenissimè persuasos esse, nec alio fine ad disputandum accedere, quàm ut veritas sententiæ nostræ asseratur, & magis ac magis in lucem prodeat. Quod verò ad secundum attinet; probamus maximè, quòd suos modestiæ admonuerit, quæ cum ubiq; , tũ in ejusmodi disputationibus summa cũ laude adhibetur & usurpatur; maximè verò, quòd a risu intempestivo suos dehortatus sit. Qua occasione quòd addiderit, risu digna esse, quæ proferamus, quid mirum est, aut novum? cùm doctrina Iesu Christi, qua nihil visum est unquam sanctius, nec perfectius, a Pharisæis sæpè sannis excepta fuerit. Nec verò eidem doctrinæ in ipsius professoribus dissimilis fortuna unquam est expectanda. Postremò quoad modum disputandi; credo argumentantem regulas ritè disputandi apprimè servaturum esse. Id solum rogatum velimus, ut, quemadmodum respondens, fundamenta responsionum suarum, si quid neget, concedat, aut distinguat, postulat, ut sibi declarare liceat: ita terminos explicare, si expediat, & opus sit, argumentanti liceat. Par enim tum opponentis tum respõdentis ratio esse debet, si æquitas sit servanda, & ex ejus lege omnia agi debeant. Quòd verò orationem ad Christum subjecerit; credo etiam nemini ægrè fore, sed gratũ omnibus, si noster argumentans idem sit facturus, & opem Domini nostri Iesu Christi imploraturus. Atq; hæc habui, quæ ad perorationem R^iæ^. V^ræ^. respondenda videbantur.

CARMELITA. *Non pertinet ad argumentantem terminos explicare, sed ad defendentem. Debet enim Arguens in forma sua argumenta proponere, non per modum orationis; & mirum est quare hoc ipsi petant, qui solent proponere terminos ambiguos, ut decipiant Catholicos. Sed ne in præfationibus immoremur, ad rem accedamus. Rogamus autem, ut solo idiomate latino argumentans utatur. Secundò, ut in forma procedatur, probando id quod negabitur. Tertiò, ut unus argumentans per unam tantùm horam duret; nam & jam tardè est, & non conceditur inter Catholicos plus temporis.*

D. MOSCO-

D. MOSCOROVIUS. Vnica hora vix potest unum argumentum commodè & accuratè examinari, quare plus temporis ad veritatem in lucem proferendam requiritur.

Generosus & Magnificus D. Palatinides Podoliensis: Domine mi, scire debes, non nisi unum fore argumentantem. ideoq; necesse est ut plus temporis ipsi concedatur.

CARMELITA. *Dominatio vestra promiserat fore tres argumentantes, & ideo addidimus tertiam conditionem, ut unusquisq; per unam solùm horam argumentetur; nunc autem, quoniam non invenerunt nisi hunc unum, quantum ex parte nostra est, durabimus & parati sumus usq; ad vesperam disputare; solùm agitur de Auditoribus. Quantum ergo ipsi voluerint sustinere, tantùm nos parati sumus veritatem defendere & objectis respondere. Sed jam rogamus, ut Arguens incipiat.*

Tunc OPPONENS surrexit cũ fratribus suis, & ad Christum preces in hunc modum direxit: Domine Iesu Christe, qui es verus Deus super omnia benedictus in secula, tu ipse dirigito linguam meam, ne quidquam tuæ divinæ veritati adversum proferam; sed quicquid dixero, id cedat ad verã sanctissimi nominis tui & patris tui gloriam. non ego sed tua sacrosancta vincat veritas. Amen.

Præmissis precibus thesin II. quæ Christum ejusdem esse naturæ cum patre asserit, perlegit, eamq; hoc argumento impugnavit:

Qui est ejusdem naturæ cum patre, ejus divinitas est naturalis.
At Christi divinitas non est naturalis.
Ergo Christus non est ejusdem naturæ cum Patre.

CARMEL. *Nego Minorem.*

MINISTER. Probo Minorem hoc Syllogismo:
Quæ divinitas est ex gratia, ea non est naturalis.
At Christi divinitas est ex gratia.
Ergo Christi divinitas non est naturalis.

CARMELITA. *Probetur iterum Minor.*

MINISTER. Probatur hoc argumento:
Cui donatum est nomen supra omne nomen &c. ejus divinitas est ex gratia.

At Christo donatum est nomen supra omne nomen. Philip: 2. v. 9.
Ergo Christi divinitas est ex gratia.

Nota hîc statim Carmelitæ fidem vacillare in relatione hujus disputationis. Nam pro voce *donatum*, quæ in ipso textu habetur, & in qua potissima vis argumenti consistit, quamq; nos identidem inculcavimus atq; ursimus, supponit vocem *datum*, idq; sæpiùs. Ne igitur tibi mirum videatur, quòd postea *nomen divinitatis*, & *potestatem divinitatis*, quibus terminis numquam sumus usi, pro *nomine divinitatem significante*, & pro *divina potestate* supponit, aliaq; passim in verbis nostris recitandis immutat. Nam si in re tam aperta quicquam mutare est ausus, & vocem toties a nobis repetitam ne semel quidem in argumenti nostri relatione posuit, quid alibi eum fecisse censes, ubi mutata esse verba nostra, deprehendere difficilius videtur?

CARMELITA. *Negatur Major.*

MINISTER. Probo Majorem hac ratione:
Si nomen supra omne nomen, significat divinitatem, certè cui donatum est nomen supra omne nomen, ejus divinitas est ex gratia.
At prius verum. Quare & posterius.

CARMELITA. *Nego Minorem.*

Cum autem Minister Assumptionem probare vellet, regressus est Carmelita ad propositionem, ejusq; probationem postulavit.

Nota hoc loco iterũ minùs verè Carmelitam recensere argumentum Opponentis. fingit enim eum ad hunc modum argumentantem: *Hoc nomen supra omne nomen est nomen divinitatis. Ergo cui datur hoc nomen, datur & divinitas.* Consequentiam autem hoc argumento confirmatam ait: *Si nomen est divinitas, cui datur nomen, datur & divinitas. Atqui verum est primum, Ergo & secundum.* Atqui hunc prosyllogismum ad consequentiæ probationem nihil pertinere quis nõ videt? Quomodo igitur admissus fuisset a Carmelita, qui dicit concessa ejus Majori, negatam esse Minorem? Vnde apparet prosyllogismum illum, quem mox ad probandam Minorem allatum ab Opponente ait, (quo sanè nihil ineptius fingi potuit) unà cum iis quæ ipsius occasione ab utraq; parte prolata esse asserit, planè cõmentitia esse. Et sanè si voce *est*, non autem, *significat*, ab initio statim usus fuisset Opponens, nunquam ad illum canonem controversum devenisset:

niſſet: ſed ſimpliciter, ut poſtea fecit per nomen ſupra omne nomen intelligi ipſam divinitatem demonſtraſſet.

MINISTER. Connexum propoſitionis eſt per ſe evidentiſſimum. Nam, qua ratione alicui competit nomen, eadem ratione convenit etiam nominis ſignificatio. Ergo, ſi nomen ſupra omne nomen, ſignificat divinitatē, cui donatum eſt nomē, donata eſt etiam divinitas.

CARMELITA. *Negatur Antecedens.*

MINISTER. Antecedens per ſe patet. eſt Canon Logicus.

CARMELITA. *Talis Canon non eſt auditus in Logica, aut proferat Ariſtotelem, vel aliquem probatum autorem, qui ejus meminerit. Nos autem dicimus, hunc non eſſe Canonem Logicum. Nam Logicæ canones non contrariantur Scripturæ, hic autem contrariatur; imò contrariatur etiam experientiæ evidenti naturali, & deniq; ipſiſmet Canonibus legitimis Logicæ. Singula oſtendo. Quantum ad ſcripturam attinet Exodi 3. Deus qui ab æterno per eſſentiam erat, accepit hoc nomen* Qui eſt, *nec tamen tunc accepit id, quod per hoc nomen ſignificabatur, non ergo eſt iſte Canon Logicus. Experientiâ quoq; idem conſtat. nam homo, eſt homo per novem menſes, quibus eſt in ventre matris, & tamen non datur illi nomen, niſi dum naſcitur: & nihilominus tunc non incipit eſſe, dum nomen accipit. Eſt ergo propoſitio illa omnino falſa, & contra experientiam. Deniq; verus canon Logicus eſt, Quòd aliud eſt a quo nomen imponitur, aliud verò ad quid ſignificandum imponitur. Lapis enim dicitur a lædendo pede, nec tamen læſionem pedis, ſed ſubſtantiam lapidis ſignificat; ſicut ergo lapis, antequam hoc modo denominaretur verè erat talis, & tamen poſtea accepit nomen, ita non eſt verum, quòd ea ratione conveniat ratio nominis, qua nomen.*

Vides lector, quàm artificioſus fuerit Carmelita in verbis Opponentis, ad alienum ſenſum detorquendis, & caligine oculis auditorum offundenda. Nonné enim in Antecedente, quod ipſe in dubium vocavit, juris (quo nomine cōplector meritum, gratiā, naturā, aliaq; hujus generis, propter quæ aliquid alteri jurè tribuitur, aut ineſſe dicitur) non autem temporis ratio habetur? Vt enim Opponentis argumentum ſtet firmum, & ex nominis donatione, inferatur divinitatis donatio, ſufficit ſi eodem jure competat nominis ſignificatio, quo jure competit ipſum nomen: ut, ſi nomen conveniat jure naturali, etiam res

tiam res nomine significata: sin ex gratia, similiter. Quæritur enim: An divinitas Christo naturâ competat? Affirmat Carmelita, contrarium probat Opponens ex eo, quia Christo est donata. Donatam autem demonstrat ex loco Pauli, qui nomen supra omne nomen Christo donatum asserit. Si igitur docuerit, hoc *nomen supra omne nomen* significare *divinitatem*, an non ex jure donationis, sive gratiæ, (quo jure nomen illud Christus obtinuit) non jure naturali, sed gratiæ, divinitatem ipsam Christo competere, meritò concludetur? Neq; verò quidquam facit adversus nos locus Exodi 3. v. 14. ubi Deus rogatus a Mose, quodnam esset nomen ejus, respondit: *Ero qui ero, dices Israëlitis. Ero misit me ad vos.* non autem *Qui est*, ut Carmelita contra fidem Hebraicæ veritatis locum allegavit. Neq; enim dono hoc nomen Deus accepit, si modò accepisse dici debeat, quemadmodum Christus: nec video quid impediat, quominus eodem jure Deo competat hujus nominis significatio, quo ipsum nomen: præsertim si rectè intelligatur, quid illud nomen significet, quod nonnulli etiam ex ipsis Trinitariis viri doctissimi, non ad essentiam Dei, sed ad immutabilem ipsius in promissis suis servandis veritatem & constantiam id referentes, animadverterunt. In altero verò exemplo, primùm vitium est, quòd juris nulla habeatur a Carmelita ratio: cùm alioqui certum sit, quòd quemadmodum nomen *hominis*, quatenus substantiam anima rationali præditam designat, naturaliter alicui individuo competit: ita & res quæ per illud nomen denotatur. Deinde si Carmelita per *nomen* hoc loco intelligit nomen proprium v. g. Iohannis, Petri, Pauli &c., ut ejus verba præ se ferunt; fallacia est manifesta in eo, quòd nomen *hominis* appellativum, quatenus certam animalis speciem denotat, cum nomine aliquo proprio seu singulari, quod ad individuorum distinctionem adhibetur, confundatur. Atqui nomina propria Petri, Pauli, Iohannis &c., neq; per naturam, neq; per gratiam illis subjectis, quibus imponuntur, propriè conveniunt: & si tamen per gratiam alicui competere videantur hujusmodi nomina, ratione nimirum illius rei, a qua imponuntur, ut de nomine Abrahami, Iohannis Baptistæ, & Petri, aliorumq; his similium nominibus concedi potest, immo etiam de nomine Domini Iesu; rem etiam ipsam illorum nominibus significatam, per gratiam iisdem convenire, nemo, ut opinor, negaverit.

Porrò canon ille Logicus, quem tradit Carmelita, *Aliud esse id a quo nomen imponitur, aliud verò ad quid significandum imponitur*, verus qui-

rus quidem eſt: ſed tamen nobis non repugnat, nec quicquam facit ad noſtram argumentationem convellendam. Neq; enim nos dicimus, id, a quo nomen imponitur, id eſt, unde originem ſuam ducit vocabulum aliquod, ſeu quod in cauſſa eſt, cur vocabulum aliquod rei certæ imponatur, & illud, ad quod denotandum adhibetur, eſſe idem; cùm nulla prorſus in Canone noſtro fiat mẽtio ejus, a quo, ut ait Carmelita, nomen imponitur, qualis eſt læſio pedis reſpectu lapidis ex ſententia Carmelitæ. Itaq;, nihil obſtante Carmelitano Canone, rectè collegerit quiſpiam ad hunc modum: Si per naturam huic individuo competit nomen lapidis, per naturam etiam competit res iſto nomine ſignificata, nimirum lapidis eſſentia ſive ſubſtantia. Non advertit ſcilicet Carmelita, me non loqui de ratione ſeu cauſſa, ob quam vocabulum aliquod ad rem quampiam ſignificandam adhibeatur; verbi gratia, cur ſubſtantia lapidis denotetur voce lapidis, vel, Cur poteſtas ſupra omnem poteſtatem, nomen ſupra omne nomen, id eſt, divinitas appelletur, ſed de ratione ſeu jure, qua ſubjecto alicui competat vox quæpiam, non quidem ſubjectum illud ipſum ſignificans, ſed rem quampiam quæ illi ſubjecto inſit. breviter, non de jure, quo nomen rei ſignificatæ tribuatur, ſed quo tum nomen ipſum, tum res eo nomine ſignificata ſubjecto alicui competat. Adde, quòd non ſatis circumſpectè Carmelita, poſtquam lapidem a lædendo pede deduci, neq; tamen læſionem pedis, ſed ſubſtantiam lapidis ſignificare dixiſſet, ſubjicit tamquam aliquid ad noſtram argumentationem confutandam pertinens, & a ſe in præcedentibus cõprobatum: *Sicut ergo lapis, antequam hoc modo denominaretur, verè erat talis, & tamen poſtea accepit nomen: ita non eſt verum, quòd ea ratione conveniat ratio nominis, quâ nomen.* non ſecus, atq; ſi in præcedentibus de temporis diverſitate, qua res & nomen rem ſignificans, a ſe mutuò disjungantur, fuiſſet loquutus: atq; oſtendiſſet, rem ipſam, veluti ſubſtantiam lapidis, priùs extitiſſe, quàm nomen hoc illi imponeretur; quod etſi concedi poſſit, intempeſtivè tamen hîc additum eſt. Poſtremò, ut hoc inſuper addamus, lapidem a lædendo pede derivari nimis coactum eſt, vel ſaltem incertum. a Græco enim λᾶας, quod ipſum quoq; lapidẽ ſignificat, deduci, non deſunt qui aſſerant; quorũ ſententia longè probabilior eſt. Hæc non ideo adjicimus, quaſi in iis robur noſtri argumenti collocemus; poteſt enim egregiè conſiſtere citra iſtum canonem: ſed ne ſibi tantopere placeat Carmelita in ſuis ſophiſmatibus, quibus ad noſtrum antecedens confutandum

tandum usus est: quia scilicet Opponens in publica disputatione ad verba Apostoli ipsum revocare, quàm ad hujusmodi scholasticas cõtentiones delabi, consultius esse duxerit, omniumq; potiùs captûs & emolumenti, quàm vel suæ gloriæ, vel cupiditatis Carmelitæ, qui a loco scripturæ tam augusto ad hujusmodi scrupulosas concertationes libenter fortasse Ministrum avocasset, & ita fructum insignem, qui in auditores ex loci istius consideratione accurata redundare debebat, e manibus facilè extorsisset, rationem habendam putarit.

Cum autem nulla alia caussa subesse potuerit, cur Carmelita propositionem illam negare ausus fuerit, ad quam confirmandam hoc enthymema allatum est, quæ erat: *Si nomen supra omne nomen significat divinitatem; cui donatum est hoc nomen, donata est divinitas;* quàm obscuritas quædam illius phraseos, *nomen hoc significat divinitatem*, quam videbatur Carmelita ita accipere, quasi dictum fuisset; *nomen est signum vel indicium divinitatis*, quod planè a mente Pauli & Ministri alienum est; qui voce *nominis* potestatẽ intellexit, faciliori compendio rem totam confectum iri speravit Opponens, si ad omnem speciem ambiguitatis vitandam, pro phrasi *significat divinitatem*, phrasin, *idem est quod divinitas*, reposuisset. Itaq;, Canone illo tamquam controverso in medio relicto, ad hunc modum ursit Carmelitam.

MINISTER. Quandoquidem non in hoc Canone, sed in loco Pauli fundatur meum argumentum, si evidentissimè ostendero, idem planè esse nomẽ quod Christo donatum est, & divinitatem ipsius, nonné necessariò sequetur, quòd, si Christo donatum est hoc nomen, donata sit etiam divinitas?

CARMELITA. *Nequaquam: sed probet in forma propositionem negatam, scilicet illum suum Ca[...]em Logicum, quem jam ostendimus non esse talem, sed falsissimum.*

MINISTER. Nihil est necesse id fieri: dum modo id verum esse constet, in quo potissima argumenti vis consistit, & quod vestræ sententiæ maximè adversatur.

CARMELITA. *Probet negatum.*

MINISTER. Satis est, si probem idem esse hoc nomen Christo donatum, quod est ipsa divinitas.

CARMELITA. *Non licet regredi. Probetur propositio negata.*

MINI-

MINISTER. Licuit R. T. regredi, cum suprà admissa propositione, assumptionem negasset; cur mihi non liceat progredi ad illud probandum, in quo cardo totius rei vertitur?

CARMELITA. *Protestamur, qualiter arguens non vult procedere in forma, quia nescit ulterius procedere, & ideo quærit tergiversationes. Qui enim non probat negatum cùm sit falsum, eo ipso ostendit, se nescire procedere ulterius, & se eße convictum. Concedat ergo D. Statorius, se in hoc jam esse convictum, & nescire probare negata, & concedemus illi ut accipiat iterum propositionem prius negatam, & novo argumento eam probet. Scribat ergo Notarius, a Patribus Carmelitis jam victos eße Hæreticos, in primo argumento, & dicat aliud.*

MINISTER. Relinquamus jam hanc propositionē tamquam controversam, & ad locum Pauli Apostoli revertamur. Probabo manifestissimè, nomen hoc supra omne nomen, idem esse, quod divinitas; & statim apparebit Christi divinitatem esse ex gratia.

CARMEL. *Manifestissimâ insaniâ.*

D. MOSCOROVIUS. Non est hęc modestia quam expectavimus a R. Vestra.

CARMEL. *Contra talem immodestiam argumentantis, non poterat expectari alia melior modestia.*

D. SLUPSKI Archidiaconus Wladislaviensis. Non de moribus est concertatio, sed de fide: pergat ulterius arguens in suo argumento.

CARMEL. *Quia D. Moscorovius est Episcopus Racoviensis, propterea fortassis ad ipsum pertinet mores eorum corrigere. Sed pergat rogo ulterius argumentans.*

D. MOSCOROVIUS. Unde scit R. V. me esse Episcopum?

CARMEL. *Ita audivi, & ita communiter circumfertur.*

Tunc Magnificus D. Palatinides ironicè, sed joco paullo civiliori, quàm Carmelita, qui virum gravissimum ludibrio habuit, ait: Ego sum, inquit, Episcopus Racoviensis. quid tum postea? Subriserunt quidam, ut fit in jocis: quod Carmelita contorsit in Magnif. D. Palatinidem ac si ipsum derisisset tota contio.

Tandem redintegrata disputatione, probavit Opponens, Nomen Christo donatum æquipollere divinitati, hoc argumento:

Poteſtas ſupra omnem poteſtatem eſt idem quod divinitas. Atqui nomen ſupra omne nomen, eſt poteſtas ſupra omnem poteſtatem. Ergo nomen ſupra omne nomen eſt idem quod divinitas.

CARMEL. *Nego Minorem.*

MINISTER, ut tanto commodiùs probaret Minorem, priùs oſtendere voluit, in ſcripturis vocem *nominis* non rarò Divinitatem ſeu Poteſtatem divinam ſignificare; idq; ad hunc modum: Ex variis ſcripturæ locis patet, vocem nominis pro poteſtate, divina ſcil: accipi, ut Act: 3. v. 6. In nomine Ieſu Nazaræni ſurge & ambula.

Cum autem alios huic ſimiles recenſere vellet, quales ſunt Ioh: 10,25.17 12. Act.4. 7. ait CARMELITA, *Satis eſt. nã apud veros Catholicos unus locus S. Scripturæ ſufficit. Sed nego conſequentiam. Non enim valet: Iſte terminus eſt in uſu in S. Scriptura in hoc ſenſu, in aliis locis. Ergo etiam in hoc, ut ſatis notum eſt. Quicquid ergo ſit de aliis locis, certè in hoc non poteſt intelligi hoc modo. Non enim poteſtas divina eſt tamquã pecunia, quæ donari poteſt, ut res aliqua materialis, quæ imponatur ſicut nomen.*

MINISTER. Si apud Paulum *Nomen* aliter accipiatur quàm alibi, ubi poteſtatem ſignificat, non potuiſſet Apoſtolus ſubjicere: *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur* &c. Atqui meritò hoc ſubjecit. Ergo non niſi pro poteſtate vocem nominis uſurpat.

CARMEL. *Nego Majorem.*

MINISTER. Si, ut vult R. Veſtra, pro nudo nomine Dei, vocem Nominis uſurpaſſet, & interim jure ſubdidiſſet, Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, &c. ſequeretur, omnibus illis quibus nomen Dei convenit, divinam adorationem deberi. Atqui hoc abſurdum. Ergo & illud.

CARMEL. *Diſtinguo conſequentiam Majoris: Si Paulus loqueretur de eo cui competit nomen Dei, ſine divinitate per naturam, concedo hoc abſurdum ſequuturum: at verò quia loquitur de Chriſto, cui nomen Dei competit cum divinitate per naturam, nego.*

MINISTER. Qui petit principium, nihil reſpondet. R. Tua petit principium. Ergo nihil reſpondet.

CARMEL. *Probetur Minor.*

MINISTER. Qui per illud ipſum vult decidere controverſiam, quod verſatur in quæſtione, is petit principium. Atqui Rª. Tua per illud ipſum vult decidere controverſiam quod in quæſtione verſatur. Ergo petit principium.

CARMEL. *Nego Minorem.*

MINISTER. Minorem probo. Quæſtio noſtra eſt, an Chriſti divinitas ſit naturalis. Rª. Tua per hoc ipſum reſpondet ad meum argumentum. Ergo per id, quod in quæſtione verſatur, reſpondet.

Nota hîc obiter, in Carmelitana editione, ita referri hoc argumentum Opponentis, ut manifeſtè appareat, Carmelitam parum fideliter & minùs candidè agere. Nam affirmat eum dixiſſe: *Quæſtio noſtra eſt, utrum detur Deus cui conveniat nomen cum poteſtate divinitatis a natura, an verò ſolùm per adoptionem & gratiam.* At quomodo fieri potuit, ut, hoc in controverſia verſari, ipſi in mentem veniret, cùm de eo inter nos & Adverſarios planè conveniat? Sed & reſponſio Carmelitæ prodit, minùs verè hoc eſſe relatum. Nam ipſe Carmelita fatetur ſe reſpondiſſe: *Quæſtio, an Chriſtus ſit filius Dei per naturam, an per adoptionem, eſt illa a qua incæpimus.* Quæ reſponſio ad id, quod a nobis dictum eſt, accommodata videri poteſt: ad id verò, quod Carmelita nobis affingit, aptari vix ac ne vix quidē poteſt.

CARMELITA. *Quæſtio noſtra eſt, de mente Pauli circa illum terminum* Nomen, *quid intelligat per illud. Quæſtio autem, an Chriſtus ſit filius Dei per naturam, an per adoptionem, eſt illa a qua incæpimus, & a qua jam digreſſi ſumus. Licet autem per unam quæſtionem relictam jam expedire aliam, ad quam devenimus.*

MINISTER. Eſt quidem quæſtio jam de voce *nominis*, quomodo hoc loco accipiatur ab Apoſtolo, ſed eo fine inſtituta, ut poſſet decidi illa principalis controverſia, An Chriſti divinitas ſit naturalis? Ad hanc omnes proſyllogiſmi principalis argumenti diriguntur. Proinde nō ſimpliciter verum eſt, nos eam reliquiſſe. quandoquidem in eo laboramus, ut appareat, utrum affirmās, an verò negans theſis ſtatuenda ſit.

Hac controverſia durante, intervenit Illuſtriſſimus Dominus Palatinus Poſnanienſis, cui pro ſuo libitu recenſuit Carmelita totius diſputa-

disputationis seriem. Qua fide autem id fecerit, unusquisque facilè intelliget, qui hanc a nobis editam cum ipsius relatione contulerit. Nam si tunc temporis coram Illustriss. Domino Palatino ita disputationem hanc retulit, ut eam in publicum jam protulit, quantum a vero aberrarit ex eo liquet: quòd, etsi Carmelitanam relationem apertè falsam, necessario argumento vix probari possit, (hoc enim injuriâ quispiam hîc requirat) ni fallor tamen minùs verisimilem esse quàm nostram, quantum hæc materia patitur, probabiliter ostendimus. Insuper autem, quamvis memoriæ meæ tantum non confidam, ut hoc loco omnia, quæ acta sunt, referre, quemadmodum opus est, possim, idq; propterea, quòd cursus disputationis tūc interruptus fuerit, & varia, de quibus actū est, intercesserint: secùs tamen, quàm refert Carmelita, rem gestam esse, affirmare non dubitaverim; qua in re si quis fidem nobis commodare nolit, is præter ea, quæ suprà attulimus, ejus rei indicia, hæc pauca consideret. Primum est, quòd *ex cōmuni utriusq; partis consensu* dicit se rogâsse Illustrissimum D. Palatinum & Illustrissimum D. Marschalcum judiciorum regni, ut essent disputationis judices; judices, inquam, qui sententiam ferre debeant, ut ipse Carmelita se explicat, quod idem Illustrissimo Duci in Czartorysko, sub cujus nomine præfatio est edita, fortasse persuasit. Atqui non est verisimile alteram partem tales judices elegisse, vel approbâsse, iisq; solis judicium de tota hac controversia permisisse, qui ante ipsam disputationem ab ipsius Carmelitæ stabant partibus, ipsiusq; sententiæ planè erant addicti, nostram verò jam pridem nigro notârant calculo. Nec verò hæc petitio Carmelitæ prudentiæ & æquitati ullo modo consona apparet. Vtraq; enim eos constitui vetat judices ejusmodi, penes quos sententiam in causâ religionis ferendi sit potestas, qui alteri parti prorsus adhæreant, imò quorum causa etiam agatur, nisi velimus in propria causa quempiam posse dari legitimum judicem. 2. Secundò expendendum est, quòd dicat, nos tacuisse, cum quæreret ex nobis, *Estne ita? repetiine fideliter?* cùm tamen paulo pòst Opponentem secùs sensisse, & clarissimè testatum esse, Carmelitam falsa quædam dixisse, nonnulla secùs quàm oportebat retulisse, idem fateatur. Nec enim probabile videtur, taciturum Opponentem ad hujusmodi interrogationem, qui mox in os Carmelitæ restitit. 3. Tertiò quòd mihi affinxerit, quòd eum appellarim *Reverendi patris* nomine: quod a me factum non esse, optimè mihi sum conscius. 4. Quartò, quòd superiùs pag. 27. Opponentem faciat

faciat dicentem: *Hæc propositio est Canon Logicus, est principium, & ideò non est probanda:* & paulo pòst etiam ea dicat, ex quibus manifestè apparet, Opponentis mentem non fuisse, imò nec verba ipsius id præ se tulisse, quòd Canonem illum probare vellet: sed id, quod potissimùm in quæstione versabatur, & cujus gratiâ Canon ille fuerat allatus. Hîc v. pag: 35. facit Carmelita opponentem dicentem, quòd voluerit eum probare argumento Theologico, & probaverit. Nec sanè fuit adeò bardus Opponens, ut ex scriptura Canonem hunc probari debere, ipsi in mentem venire potuerit, quod vult Carmelita. 5. Quintò quòd scribat, notarium a se monitum, ut testaretur, an bonâ fide referret totius disputationis seriem, seq; scriptum Notarii obtulisse Illustrissimo Domino Palatino: neq; tamen, vel Notarium ullum verbum protulisse, quo assensum testimonio suo Carmelitæ præberet, nec Illustrissimum Dominum Palatinum, cui offerebat, ita in Notarii scripto deprehendisse, affirmare audeat. 6. Sextò, quòd nunquam Opponentem respondisse asserat ad istam suam interrogationem: *alioquin dicat D. V. quid est hoc quod addidi?* cùm tamen ad istum modum non fuerit interrogatus opponens; & prætere a, cùm vix uspiam proclivior sit lapsus, quàm in relatione adversæ partis argumentorum ex pluribus syllogismis inter se concatenatis constantium, ut scil. vel addatur quippiam vel detrahatur, vel mutetur, hæc omnia a Carmelitâ admissa esse, in ipsius relatione notari & demonstrari facillimè potuerit. Nam ut cætera omittam, quæ ex nostra editione peti possunt, hoc argumentũ ne per somnium quidem in mentem venire potuit Opponenti, quod ipsi tribuit pag. 26. *Nomen supra omne nomen, non potest esse aliud quàm nomen divinitatis. At nomen divinitatis, significat divinitatem. Ergo hoc nomen significat divinitatem.* Nemo enim unquam ex nostris voce *Nominis* apud Paulum, ipsum nudum nomen quod signum est divinitatis, intellexit: & incredibile est, postquam dixisset Opponens, ut vult Carmelita, *nomen esse divinitatem*, probationis ergo subjecisse, *hoc nomen esse nomen divinitatis;* & rursus, *hoc nomen significare divinitatem:* cùm major hujus argumenti (alioquin multis de causis plusquàm ineptissimi) diversum potius suadeat ab eo, quod probandum est, ex sensu præsertim Carmelitano accepta. Minor verò obscurior sit longè, propter vocem *significandi* ambiguam, quàm prioris argumenti assumptio, quæ expresè dicit, *hoc nomen esse divinitatem.* Non erat etiam opus ut Carmelita in formandis argumẽtis opponentem adjuvaret, quemadmodum

admodum se fecisse scribit pag. 32. ejusmodi argumento ex mente opponentis formato, quod an Præside, quem se constituit Carmelita, dignum sit, nescio. Est enim tale: *In hoc loco Apostoli idem est dicere, dedit illi nomen, ac dedit illi potestatem divinitatis. Sed dicitur quòd dedit illi nomen. Ergo et quòd dedit illi potestatem divinitatis.* Hoc igitur inter alia addidisse Carmelitam, non est obscurum. Detraxisse etiam nonnihil, vel hinc conjici potest, quòd Canonem illum, quem absente Illustrissimo Domino Palatino ab opponente, secundum quid tantùm & certâ de causâ, eaq; fortasse non levi, relictum pag. 30. agnoscit, in ipsius præsentia, tanquam absolutè & simpliciter relictus esset, eo omisso, cur id factum sit, & fieri jure potuerit, traducat, & Opponenti insultet. Mutasse deniq; non pauca Carmelitam, & quidem ea, in quibus plurimum situm est, apertius est, quàm ut demonstrari debeat. Nam pro voce *donandi* vocem *dandi* toties supponere; pro phrasi *hoc nomen significat divinitatem*, phrasin *hoc nomen est nomen divinitatis*: & pag: 34. pro verbis Opponentis, *Quæstio nostra est an Christi divinitas sit naturalis*, dicere, *Quæstio nostra est utrū detur Deus, cui conveniat nomen cum potestate divinitatis a natura*, reponere, aliaq; generis ejusdem; quid aliud quæso, quàm hoc ipsum testantur? Hæc cùm ita sint, ausus tamen est Carmelita non quidem errorem linguæ, quod fortassis tolerari posset, sed *mendacium* apertè opponenti objicere: quod an modestiæ Christianæ congruum sit, ipse expendat Carmelita. Sed habet præterea duo, quibus vel maximè Opponenti insultat. Geminam enim illi impingit contradictionem. Altera quidem est, quòd canonem illum controversum modò se reliquisse affirmaverit, modò negaverit Opponens. Altera verò, quòd responsionem Carmelitanam, modò petitionem principii continere, modò ad propositum nihil facere dixerit. Ad priorem quod attinet, primùm incertum est parumq; verisimile, Opponentem alterutrum eorum absolutè protulisse. Deinde suprà pag. 30. ita opponentem inducit loquentem: *Relinquamus pro nunc hanc propositionem. Indulgeo enim R.T. pro nunc, non absolutè concedo, sed ad tempus indulgeo, eam esse falsam, ut deveniam ad argumentum ex scripturâ.* Quæ verba phrasibus quidem Carmelitanis, ab Opponentis phrasibus diversis, non carent, (quod aliàs sæpiùs accidit in ipsius editione, quàm ut identidem inculcari debeat) unde conjecturam capere licet, an juratus ille Notarius sub ipsum disceptationis actum, an verò pòst privatim dictante Carmelita eam conscripserit: sensum tamen quo se reliquisse

liquiſſe illam propoſitionem meritò dicere potuerit Opponens, idemq; certo reſpectu negare, ſuggerere poterant Carmelitæ. Reliquit hanc propoſitionem, quatenus de ea tunc temporis contendere noluit, tanquam eâ, citra cujus opem argumentum ſuum optimè conſiſtere poſſe probè perſpexit. Non reliquit eandem abſolutè: quatenus falſam eſſe omnino, tunc non vidit, nec dum intelligit, ideoq; ſibi prorſus deſerendam non putavit. Nec opus erat ipſum dicere, *Reliqui, id eſt, ad tempus diſtuli:* ſed ſatis erat recurrere ad ſua verba, ſi ad eum modum a Notario fuerant excepta, ut vult Carmelita; nec ſi dixiſſet, id aliter accipiendū eſſet, quàm, ſe eum urgere & probare paratum eſſe, ſi neceſſitas prorſus poſtulet, & citra contentionē iſtam Scholaſticam, ex ipſo Pauli loco, cum aliis S. Scripturæ teſtimoniis collato, veritatem ſententiæ ſuæ demonſtrare poſſe non videatur. Non licere autem in diſputatione, ubi veritas tantùm quæritur, & auditorum captui & utilitati conſulitur, relinquere id, in quo argumenti principalis vis non conſiſtit, quodq; inutilium rixarum excitaret plurimum, emolumenti afferret perpuſillum, & a loco ſcripturæ, qui controverſiam decidere debebat, ad ſpeculationes Philoſophicas auditores a vocare facilè poſſet, neſcio utrum eruditi & æqui rerum æſtimatores ſint judicaturi, præſertim ſi ipſum principale argumentum non negligatur, ſed ad id, in quo cardo totius controverſiæ vertitur, deſcendatur (id quod ab Opponente factum eſſe liquet, licet Carmelita proſyllogiſmum, quem relicto canone Logico protulit, *Novum argumentum*, &c. in diſputatione a ſe edita appellet. quaſi ſcilicet primum argumentum principale jam fuiſſet abſolutū, cùm tamen illud idem, licet diverſa ratione, adhuc urgeatur.) Forma enim diſputandi, non contendendi, ſed veritatis patefaciendæ cauſâ, ut inventa eſt, ita in diſputādo exigi debet. Porrò poſterior contradictio, quam nobis objicit Carmelita, nulla planè eſt. Nam prætérquam quòd fieri forſitan poſſit, ut una eademq; reſponſio utroq; hoc vitio aliquando laboret, id eſt, & id quod erat in principio petat, nec ad propoſitum faciat: quis non intelligit, ex Carmelitana quidem relatione paulò obſcuriùs, ex noſtra verò ſatis perſpicuè, non de una & eadem, ſed de diverſis reſponſionibus Carmelitanis, verba Opponentis (ſi modò ita loquutus eſt) accipienda eſſe? Petiit id quod erat in principio Carmelita, dum in ſua reſponſione, quæ habetur apud nos pag. 12. id ipſum ſibi ſumpſit, quod potiſſimùm in quæſtione verſabatur: nempe Chriſtum eſſe naturâ Deum, ut ipſe fatetur non obſcurè pag.

rè pag. 34. dum ait: *Quæstio autem, An Christus sit filius Dei per naturam, an per adoptionem, est illa a quâ incepimus.* Ad propositum autem nihil faciebat illa doctrina, quam tradit pag. 38. *quòd revera detur aliquis Deus per naturam, & cui nomen Dei ex naturâ conveniat, & aliquis cui non nisi ex gratia & adoptione*, quam certam ac tritam, nulliq; Christianorum dubiam esse asserit. Non enim per hanc respondit ad nostrum argumentum absente Illustrissimo Domino Palatino, sed in ipsius præsentia demum huc est delapsus. Quare ad hũc modum verba Opponentis pag. 38. formare potiùs debuisset: *Deinde quod addidit de duplici Deo per naturam & per gratiam, nihil facit ad propositum. Non enim per hanc doctrinam, sed per illam distinctionem* (quam pag: 12. indicavimus) *in quâ Christum esse naturâ Deum, de quo jam potissimùm disputamus, sumpsit pro concesso, respondit ad nostrum argumentum.* quod tertio demum loco indicat Carmelita in illis verbis: *Nam per hanc ipsam quæstionem agitatam respondet argumento.*

Et hoc fortassis erat illud quod voluit respondere hæreticus, ut Opnentem Carmelita vocat, quem dicit ad hoc respondere quippiam voluisse, quod quidnam fuerit, ipse nesciat. Quanquam satis est, quòd scire, id est responsionem audire noluerit. Fatetur enim post recitata verba Illustrissimi Castell. Biecensis, non esse permissum quidquam ad hæc dici.

ILLUSTRISSIMUS DOMINUS PALATINUS POSNANIENSIS. Verissimum est quod dixit Pater. Nõ eodem modo convenire rationem per nomen significatam, quo nomen ipsum. Ego enim sum Iohannes, & sum Ostrorog, sed non eodem modo. Iohannes enim sum ex quo natus sum, sed Ostrorog sum ex familia antequam nascerer.

Ad hoc exemplum nihil tum respondere visum est, maximè propterea, quòd nos non petere videretur. Nec enim quæstio erat, quomodo duo nomina uni supposito convenirent, quod præsens exemplum ursit: sed qua ratione sive jure alicui competit nomen, eâdem etiam competere rem isto nomine significatam.

CARMELITA. *Iam ostendi qualiter non petam principium. quia, licèt per quæstionem priùs disputatam voluissem modò hanc solvere, non erraßem, nec petissem principium. alia enim quæstio est explicatio S. Scripturæ, alia verò est quæstio theologica. Non est autem licitum quæstionem S. Scripturæ, nisi ex certis principiis theologiæ, quæ sunt concilia, & sancti Patres, explicare, sicut ego feci. Non ergo fuit hîc aliqua petitio principii. Sed adhuc ad majorem solutionem addo, me non per illam præ-*

illam præcipuam quæstionem, Vtrum filius Dei sit Deus per naturam resolvere locum Pauli: sed per aliam longè diversam doctrinam. Nam quòd revera detur aliquis Deus per naturam,& cui nomen Dei ex natura conveniat,& aliquis cui non nisi ex gratia & adoptione,est doctrina certa ac trita, tam apud D.V. quàm apud nos. (Cur igitur suprà ausus est dicere, Opponentem dixisse, hoc versari in quæstione?) *Atqui ego per hanc distinctionem explicui locum S. Pauli; Ergo non explicui per id de quo est nostra quæstio, sed per aliam doctrinam, quam nullus, qui Christianus sit, negare potest. Nullo ergo pacto peto principiũ. Hæc ergo cũ ita sint, rogo ne perdamus jam tempus, sed procedatur ad aliud.*

MINISTER. Dum unam petitionem principii excusare conatur R^a. V^a. in alteram novam incidit: nec enim minùs dubium est, principia illa Romanæ Ecclesiæ, esse vera veræ Theologiæ principia, atq; Christum esse per naturam Deum. Ex principiis utriq; parti communibus agendum est, & respondendum R^æ. V^æ. si aliquid proficere velit. Nam si constaret illa pro veris principiis habenda esse, quæ R^a. V^a. jam obtrudit, quorsum hæc disputatio instituta fuisset? Deinde, non in eo est petitio principii, quòd in sua responsione R^a. V^a. asserat, dari Deum per naturam, vel per gratiam, sed quòd Christum esse Deum per naturam affirmet. Neq; solùm est hîc petitio principii, sed etiam contradicitur verbis Apostoli: nam nomẽ Christo donatum esse, & divinitatem per naturam competere, pugnant invicem.

Illustris & Magnificus Dominus Castell. Biecen. *Revera evidens est hæc doctrina, dari divinitatem quæ per naturam sit, & aliam quæ per adoptionem, ut frequenter habetur in scriptura. Nulla ergo est in Patris responsione petitio principii.* Hîc cum Minister aliquid dicere vellet, fatetur Carmelita, non esse permissum quicquam de hoc dici, nempe ab ipso Carmelita.

CARMEL. *Quod attinet ad scripturæ intelligentiam, dico, quòd scripturam debemus intelligere juxta vera principia theologiæ, inter quæ sunt Concilia & Sancti Patres, nec propterea quia Sanctos Patres nolunt recipere, (& nescio quare, nisi quia putant se scire plus, quàm omnes sancti patres sciant) non, inquam, propterea non est mihi licitum secundum mentem ipsorum intelligere ac interpretari scripturam.*

MINISTER. Vbi putat se jam esse R^a. V^a? Non concionatur in Ecclesia sua, sed agit cum adversariis.

CARMEL. *Sumus in Ecclesia, & in Ecclesia Dei, & agimus coram fidelibus & Illustrissimis viris contra inimicos veritatis.*

MINISTER. Principia, quæ adferri debent ad nostra argumenta convellenda, non debent esse controversa, sed quæ tam Opponens, quàm Respondens admittat. Quamvis autem liceat Rever^æ. V^æ. interpretari & intelligere locum prout velit: non tamen licet quemvis sensum loci adversario obtrudere, quasi illum ob Patrum & conciliorũ auctoritatem admittere cogatur. aut si hanc licentiam sibi sumat, sciat nobis multò magis licere rejicere eum sensum, qui sacræ scripturæ adversatur. Hæc enim sola principia veræ theologiæ continet.

CARMEL. *Ecce ostendam tam evidenter,* sicut modò est lux (nota phrasin Carmelitanam, quam in sua relatione Opponenti affingit) *falsum esse D.V. scripturã solam pro principiis veræ Theologiæ habere.*

MINISTER. Non ostendet.

CARMEL. *Anno præterito D.V. fuit convictus apud Patres Societatis de hoc, & nescivit quomodo procederet ulterius in hoc negotio. Nam omnes Ariani fatentur Patrem esse ingenitum, cum tamen hoc in sacra scriptura numquam inveniatur, ut ibi anno præterito ostensum est D.V^æ., nec aliquid habuit quo oppositum probaret.*

MINISTER. An aliquid habuerim nec ne, quo id probarem ex scriptura, quæ Deum principio carere testatur, aliorum esto judicium. Sed R^a.V^a. ea inserit, quæ sunt extra propositam quæstionem.

CARMEL. *Quia D^o. V^a. dixit, Non ostendet; non fuit extra rem, sed valde ad propositum hoc ostendere. Sed veniamus ad Christum. Dico, quod attinet ad ejus divinitatem, & distinctionem meam, quod nemo illam potest negare; multò magis Dominatio Vestra non debet illam negare, qui dicit, non solùm sanctos, sed & Christum non esse naturâ Deum, nec verè talem, sed per adoptionem, sicut & cæteri Sancti sunt.*

MINISTER. Hac in re magnam nobis R^a. Tua facit injuriam. Credimus enim ex animo & confitemur Christum esse verum Deum, divina potestate ac imperio præditum.

CARMEL. *Vtinam hoc non esset veritas quod dixi: ut quid igitur disputamus? quare nobis contradicit?*

MINISTER. Disputamus de eo, An Christus sit ejusdem essentiæ cum Patre: & contradicimus R^æ. V^æ., dicentes cum Scriptura, Christi divinitatem veram non esse naturalem, sed ex gratia profectam esse, quemadmodum testatur hic locus Pauli, affirmantis Deum donasse Christo nomen supra omne nomen.

CARMEL. *Expectet rogo. Nam quantum attinet ad locum Pauli, satis patere potest ex his quæ diximus, non esse hanc, quam D.V. dixit, mentem ejus. Sed de hoc plura postea, dum totum argumentum resolvam: nam jam pridem debuimus transire ad aliud. Quantum verò ad divinitatem Christi attinet, dico, nullam injuriam habere Dominos istos. quomodo vocabo illos?* Responderunt quidam ex nostris, Christianos. Tunc aliqui ex Adversariis, Arianos.

CARMELITA. *Sed ipsi nolunt vocari Ariani. Nam apud Patres Dominicanos die Dominico ægrè tulerunt hoc. Dicamus ergo, Isti Christiani Racoviani Ariani, nullam habent injuriam in hoc, quòd Catholici dicunt, eos docere Christum non esse verum Deum. Quod ut appareat, quæro, Christus apud D. V. estne Deus?*

MINISTER. Hîc quantumvis perspiceret, quantopere Carmelita, qui aliis leges disputandi accuratè præscribere, & anxiè formam in disputatione urgere noverat, ipse leges a se latas per hujusmodi interrogationes violaret, ne tamen ulla ex parte veritati deesset, auditorum potiùs utilitati serviens, quàm suum jus persequens, directè respondit, & Christum Deum esse libentissimè confessus est.

CARMEL. *Deo vero nihil potest accedere. Atqui Christo secundum vos aliquid accessit. Ergo Christus ex sententia vestra nõ est verus Deus.*

MINISTER. Vter nostrûm est Opponens, uter Respondens? Itáne agitur in forma? Respondeo tamen: voces veri Dei sunt ambiguæ. Deo vero, quatenus pro summo illo rerum conditore, qui naturâ Deus est, accipitur, nihil, propriè loquendo, potest accedere. At verò ei, qui ab illo summo Deo veram divinitatem accepit, accedere quippiam posse nihil prohibet: immo reipsa Christo vero Deo

ro Deo accessisse res ipsa loquitur, & D. Paulus apertè testatur, qui ex dono Dei Christo nomen supra omne nomen, propter obedientiam usq; ad mortem ipsi præstitam, obtigisse affirmat.

CARMEL. *D. V^a. est auctor istius ambiguitatis, qui introduxit aliam divinitatem Racoviæ natam. Nam nos non credimus divinitatem esse sicut pecuniam, vel rem materialem quæ donetur.*

Vide hîc iterum quomodo sibi constet Carmelita, qui suprà dixit, neminem Christianum negare posse, dari Deum non tantùm per naturam, sed etiam per gratiam. hîc autem hanc acceptionem divinitatis dicit esse Racoviæ natam. Quamquam nec nos divinitatem pecuniæ aut rei materiali comparamus, quamvis eam Christo donatam esse dicamus.

MINISTER. Non Racoviæ nata, sed in ipsis S. litteris fundata est hæc divinitas. quandoquidem locus Pauli, quem præ manibus habemus, eam admodum perspicuè ob oculos ponit.

CARMEL. *Non dantur duæ divinitates, sed una tantùm independens. Si igitur Christus est verus Deus, oportet ut sit æqualis patri.*

MINISTER. Christum esse æqualem Patri, cum Sacra scriptura libenter agnoscimus.

CARMEL. *Probo evidenter vos hoc non agnoscere. Nam illa sunt æqualia, quando nihil plus habet unum, quod non habeat aliud. Sed Pater habet aliquid plus quàm filius, scil. æternitatem, ut vos dicitis. Ergo secundum vos non est æqualis Patri.*

MINISTER. Æqualitas vel est absoluta & omnimoda, vel certis limitibus circumscripta. Nos, cum Christũ Deo Patri æqualem esse confitemur, æqualitatem istam extra limites a Sacra scriptura nobis præscriptos non extendimus. Non esse autem absolutam & omnimodam æqualitatem, hinc patet, quòd Christo donatum sit nomen supra omne nomen, ut divino cultu afficiatur ad gloriam Dei Patris.

Nota, Carmelitam hoc argumento suo seipsum tacitè refellere. Nam, si talem æqualitatem Christi cum patre vult esse, ut nihil habeat pater quod non etiam Christus: ergo Christus erit pater, & idem Christum filium ex essentia sua gignet, & erit fons divinitatis, & seipso ma-

ipso major erit &c. aliaq; his similia, quæ Carmelita ipse censet esse absurda. Christus est ita æqualis patri, ut tamen nihil possit a seipso facere. Pater omnia facit a seipso. Fideles æquales futuri dicuntur angelis. Ergo secundum Carmelitam, fideles ab eo tempore extiterunt, ex quo Angeli? Ioh.5.v.18,19.30.

CARMEL. *Iam scio quòd cavillationes sciant invenire hæretici, & tegere suos errores aliqua ficta propositione: iterum tamen dico, quòd nullus faciet injuriam Adversariis, si dixerit eos dicere, Christum non esse verum Deum: quod evidenter ostendo ex dictis ipsius Statorii in hũc modum. Deus & deitas est indivisibilis ac simplicissima, ut vel ipsa naturali ratione est evidens. Ergo vel tota deitas convenit Christo, vel nihil ejus, ut notum est. Non enim id, quod est indivisibile, & per consequens partibus caret, potest partim haberi, & partim non haberi. Sed per istos Arianos Christo deest aliquid de divinitate, nempè æternitas, ut ipsimet docent. Ergo tota divinitas illi per eosdem deest. Verè ergo ac bene, tamquam illi qui totam Christo auferunt divinitatem, a Catholicis reprehenduntur. Non ergo est injuria ista, sed simplex veritas. Sed jam rogo ut procedatur in forma ad aliud argumentum.* (Vellet Carmel. duos disputare; sed ita ut unus tantùm loquatur: alteri verò nec opponere, nec respondere liceat.) *Iam vidimus qualiter non petatur principium, jam quoq; vidimus qualiter revera per Contrarios auferatur Christo divinitas, & tamen tegant suum errorem, dicentes, se confiteri Christum esse filium Dei. nunc ergo antequam ad alia transeamus, oportet explicemus breviter locum Pauli Apostoli, de quo huc usq; fuit concertatio: Dicit ergo Apostolus.* Humiliavit semetipsum factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis, propter quod, & Deus exaltavit ipsum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, *&c. sensus legitimus est, quòd propter humilitatem, ac mortem ejus, dedit illi Deus exaltationem sui nominis, ad hoc, ut omnes genu flecterent in nomine ejus, quod patet manifestè: nam divinitas, ut antea dicebam, non est res mutabilis, aut divisibilis, quæ dari, vel dividi possit, tanquam pecunia, quemadmodum isti volunt, non est enim quantitas ut possit dari, quasi unum frustum ejus, & aliud non dari, sicut isti commentantur, qui dicunt, datam esse veram divinitatem sine æternitate; oportet ergo, ut, si Christo vera divinitas competit, tota & ab æterno illi competat. Vlteriùs. Divinitas non est res talis, quæ morte Christi, antequam esset Deus, posset promereri. Nam isti dicunt, quòd propter mortem est data; ergo post mortem: meritum enim de-*

enim debet præcedere coronam; Ergo secundum istos, Christus dum passus est, cum nondum haberet divinitatem, non poterat illam morte suâ promereri: quomodo ergo propter actionem ejus, qui nondum erat filius Dei, adhuc per adoptionem, interpretantur, dicere Apostolum, quòd Deus dedit suam divinitatem Christo? concludamus ergo, cùm aliàs notum sit sæpe dari nomen, cùm tamen ratio nominis, longè antè conveniret, Apostolũ non dicere propter quod dedit illi nomen, id est divinitatem, sed nomen, id est, declarationem suæ divinitatis: quæ facta est per impositionem nominis, super omne nomen, sicut in Exodo accepit nomen Deus, non tamen divinitatem; quod tandem patet, ac explicatur manifestè hoc exemplo. Est aliquis vir Illustris, prudens, benè meritus de republica, & dignus dignitate Senatoriâ; Nominat illum Rex Senatorem; eo ipso, omnes debent honorem Senatoribus debitum illi dare, & venerari nomen Senatoris, quod est illi impositum. Est ergo verum quòd rex dedit titulum, & propter res præclarè gestas, dedit, & ad hoc, ut honoraretur dedit, cùm tamen, nec prudentiam, nec alia, propter quæ titulum contulit, dederit illi: eodem modo, in nostro casu, in præmium humilitatis, datum est Christo, nomen divinitatis, quo declaratus est Deus: ad hoc, ut in nomine Iesu omnes genu flecterent, licet divinitas ipsa per nomen significata, non sit data, sed a natura habita. Nam quòd hæc divinitas sit naturalis, & non data ex gratia, patet ex aliis innumeris locis sacræ scripturæ, quæ facilè adferrem, si non esset hoc, manifestè disputationi tempus plus æquo adimere.

Audisti lector Carmelitæ concionem. Expectas fortasse quid Minister ad hæc dixerit: sed non consideras, tanti hunc discursum faciendum, ut non sit fas adversus eum vel mutire. Immò cum D. Moscorovius aliquid hoc loco dicere vellet, in hæc verba prorupit Carmelita, satis pro imperio: *Meum est templum, non patiar loqui.* Quod in sua relatione ita excusat: *Volebant*, inquit, *hæretici huic ultimæ resolutioni respondere, sed non est illis permißum.* Argumentum victoriæ certissimum. nam cui silentium imponis, hunc victum esse facilè gloriari potes. *Quia est*, inquit, *contra regulas rectæ disputationis, ut arguens post evidentem solutionem ultimò loquatur, ut notum est.* Benè sanè: sed evidentem solutionem a se allatam Carmelita nondum ostendit; cujus rei judicium non penes Carmelitam esse debebat, qui pars fuit adversa, etsi præsidentis personam sibi assumere videatur; cùm ipse perpetuo & nemo alius, respondentis partes egerit. *Sed*

rit. *Sed debet, inquit, arguens expectare ultimam resolutionem a Præsidente.* Quid si præses non habeat quod respondeat, num in ea solutione acquiescere tenebitur Argumentans? *Aliàs res procederet in infinitum.* At verò si afferatur argumentum quod nullis stratagematibus expugnari possit, aut solutio afferatur sufficiens, quæ argumentum evertat, terminabitur disputatio, finemq; sortietur optatum, dummodo non nostram, sed Christi gloriam quæramus. Præterea, disputatio cum Iesuitis & Dominicanis, an progressa est in infinitū? neutri tamen Argumentantem loqui prohibuerunt. *Arguens est primus in loquendo contra veritatem.* Quid si sit primus in propugnanda veritate? *Defendens tenetur illi respondere.* Sed & aptè & sufficienter. Nam si responsio solida non possit afferri, annon præstat cedere veritati? *Si semper liceret arguenti oppugnare, nunquam eßet finis.* Sed quid eadem repetere opus est, cùm hæc sint jam dicta priùs, sitq; ad ea paulo antè responsum? *Atqui res tota devoluta est ad evidentem solutionem.* Quid si sit evidenter sophistica responsio, ut mox apparebit? *Atqui judicio omnium evidens fuit.* Si per *omnes* intelligit Ecclesiæ tantùm suæ addictos, parum prudens est, qui suorum testimonio & approbatione nos convictos velit; si nostros etiam, vehementer falsus est. *Nauseam jam omnes habuerunt plura de hoc audire.* Vnde verò id collegit Carmelita?

Ex his igitur omnibus expendat cordatus lector, an hæc sit legitima disputandi ratio, ut nimirum thesium defensor, ubi viderit se in maximas redactum angustias, Opponenti silentium imponat, & depositâ Disputatoris personâ, doctoris & commentatoris cujuspiam personam induat, ex cujus ore omnes pendere debeant, seipso actore & judice. Oblitus sanè fuerat Carmelita, non cum discipulo suo, qui in ipsius verba juraverit, sibi rem esse, sed cum Adversario, qui non exercitii causâ, ut fit in Scholis, sed ex proprio animi sensu ad veritatis defensionem seriò & ex professo, ut loquuntur, disputavit. Non advertit, in disputationibus illis Scholasticis ab Opponente plærunq; supponi, Præsidem sententiam veriorem tueri, aut certè non multum interesse, ut cognoscatur, penes utram partem sit veritas: quemadmodum in Academiis sæpenumero accidere videmus. Verùm hîc de re maximi momenti, deq; sententia ejusmodi quæstio fuit, ob quam nos blasphemos in servatorem nostrū esse, & dignos qui lapidemur, nimis confidenter pronunciare audet Carmelita. Deniq; non meminerat, suos Symmystas, non minùs quàm ipse artis disputan-

ſputandi peritos, & in hujuſmodi diſputationibus exercitatiores Ie-ſuitas, ſæpiùs nobiſcum congreſſos, nunquam tamen ſilentium Opponenti injunxiſſe, quos hac in parte plus ſapere, minusq; cauſam ſuam ſuſpectam reddere, alioquin non bonam, nemo non videt. Quis enim credat ab eo veritatem defendi, qui tantiſper alterum loqui patitur, quamdiu proſyllogiſmorum identidem repetita poſtulatione ipſi negotium faceſſere, & auditoribus fucum facere ſe poſſe ſperat: ubi verò ad principia ventum eſt, ſibi ſoli loquendi licentiâ arrogatâ, eũ, qui contrà diſputat, loqui non patitur? Annon triduo antè Dominicanus ille, annon Ieſuita ſuperiori anno, cum noſtris humaniſſimè in eadem arena dimicantes, eodem jure uti potuiſſent, ſi hac ratione apud cordatos aliquid ſe profecturos exiſtimaſſent? Solus Carmelita, qui mundo præ aliis mortuum ſe profitetur, quà Chriſtianus, quà Theologus, quà monachus, quà diſcalceatus, & regulæ arctiſſimæ, religionisq; ſanctiſſimæ, ut ipſe ſentit, profeſſor, tantum ſibi arrogare auſus eſt, ut nos ad publicam diſputationem, facta ſpe ſummæ ſecuritatis, & in diſputando modeſtiæ, provocatos alto ſupercilio deſpiciens, judicio affectibus tradito, imperioſa vociferatione contra fidem datam, opprimere non dubitaverit. Non temerè quidem ſeipſum præſidem conſtituit, & alterum ſui ordinis, qui tamen nihil planè reſpondere, immo vix argumenta noſtra aſſumere potuit, Reſpondentis loco ſibi adjunxit. Nam hac ratione ſuæ auctoritati conſulere voluit, & ſimul plus temporis habere ad inveniendum quod reſponderet; præſertim ſi argumentum ſemel atq; iterum repetatur, & qui ineptè illud aſſumit, ſubinde corrigatur, quod in hac diſputatione ſæpiùs contigit. Quod ſanè in Scholis facilè tolerari poteſt. At non debuit Carmelita eo conſilio hanc Scholaſticam ceremoniam adhibere, & ſe contra exemplum omnium ſuorũ, qui hactenus nobiſcum congredi ſoliti ſunt, Præſidis auctoritate armare, ut tanto tutiùs libertate loquendi planè nobis erepta, ſibi verò quidvis ſuperciliosè pronunciandi licentiâ arrogatâ, nos opprimere, atq; apud incautos humanitatis & æquitatis neglectæ crimen declinare poſſet. Cæterùm quandoquidem tunc contra Carmelitæ decreta, nullam vocem proferre fas erat, non gravatè feret, ut arbitror, ea ſcripto paullo diligentiùs examinari, quæ de loci Paulini explicatione diſſerit, præſertim cum jam Præſidis perſonam depoſuerit, & an talia ſint, qualia ipſi videntur, quæ refelli nequeant, alios etiam expendere patietur.

Primùm

Primùm igitur dicit, ſenſum loci eſſe, quòd Deus dederit Chriſto exaltationem ſui nominis. Quam explicationem cum probare ſe velle præ ſe ferat, ut indicant illa verba, *quod patet manifeſtè*, nempe hunc eſſe loci ſenſum, quem ipſe ſequitur; in ſequentibus non ſuam ſententiam propugnat, ſed noſtram oppugnat. Scilicet longè facilius eſt, aliquem accuſare, & apud auditores non ſatis aliàs nobis faventes traducere, quàm ſeipſum erroris manifeſti convictum, defendere. In fronte autem hanc collocat rationem: Divinitas non eſt res mutabilis aut diviſibilis, quæ dari vel dividi poſſit tanquam pecunia, quemadmodum iſti volunt. Ergo donatum eſſe nomen ſupra omne nomen Chriſto, eſt dediſſe illi Deum exaltationem ſui nominis? Non hoc, opinor, ex hac ratione colligitur, ſed illud ſophiſticè concluditur, per nomen ſupra omne nomen divinitatem intelligi non poſſe. Non enim ſequitur: Non eſt hic loci ſenſus quem ſequitur Opponens: Ergo eum eſſe oportet quem ſequitur Carmelita; niſi priùs conſtet, alterutrum eſſe oportere. Quid ſi enim uterq; nulla legitima ratione comprobetur? Quod ad ipſum argumentum attinet, duplex minimùm fallacia in eo latet: una æquivocationis, plurium quæſtionum ſive conclusionum altera. Æquivocatio eſt in voce *divinitatis*. nam hæc, aut pro ipſa æterni numinis eſſentia, quæ numero unica eſt omnium conſenſu, accipitur, aut pro poteſtate & imperio divino. In priori acceptione divinitatem dari, aut dividi non poſſe, non tantùm ultrò concedimus adverſariis, ſed etiam conſtantiſſimè urgemus contra commentitium illud dogma, quo unicam numero eſſentiam tribus diſtinctis perſonis communem eſſe adverſus ſe metipſos, & contra clariſſimam veritatis atq; ſanæ rationis lucem, affirmare non dubitant. In poſteriori verò notione, divinitatem dari, vel etiam dividi poſſe (dummodò & hoc ſobriè intelligatur) nec ipſi, ut opinor diffitebuntur Adverſarii, niſi iis, quos Spiritus S. Deos diſertè appellat, divinitatem detrahere, aut certè in hac ipſa poſteriori divinitatis ſignificatione, nova ambiguitate ludere velint. Nam ſi dicant, poteſtatem & imperium divinum idem eſſe cum eſſentia divina; ut jam nullam de fundamento hujus aſſertionis ipſis litem moveamus, diſtinctio iterum adhibenda erit. Etenim imperium divinum aut eſt abſolutiſſimè independens, aut dependens. Illud nulla ratione dari, hoc verò cum creaturis communicari poſſe, Chriſtoq; homini omnium excellentiſſima ratione a patre datum eſſe Sacræ teſtantur litteræ. Unde ſimul apparet, quòd, quemadmodum aliqua inter Chriſtum

& reliquas creaturas, quoad rationem divinitatis posteriori sensu acceptæ, est convenientia, quatenus videlicet tam Christi quàm ipsarũ divinitas, ex munere Dei patris ipsis est collata: ita rursus ejusdem divinitatis respectu, insignis inter has & illum sit differentia. Quis
Heb.1.v.13,14. enim non dicam hominum, sed ipsorum angelorum, quantumvis potestate & dignitate inter alios omnes eminentium, ad dexteram Dei consedisse dici umquam potest? Omnes reges & principes terræ,
1 Cor.15.27. Ephes.1.21,22. 1 Pet.3,22. Ioh.5 22,27. omnes angeli & archangeli, throni, dominationes, potestates, majestates &c. ministri sunt Iesu Christi Domini nostri. Cui ita judicium a patre datum, quemadmodum sibi datum esse, quia filius hominis sit, ipse testatur Christus, ut pater neminem judicet? Plurium verò quæstionum fallacia in eo sita videtur, quòd propositionem istam: *Divinitas non est res mutabilis, aut divisibilis, quæ dari vel dividi poßit tãquam pecunia, quemadmodum isti volunt*, ita nobis obtrudat, ac si unica & simplex esset, cùm tamen sit multiplex, & ita eam enunciet, ac si in toto vera esset: quùm tamen aliqua ex parte in dubium vocari jurè possit. Nam etsi divinitatem, quatenus pro potestate & imperio divino accipitur, dari posse concedatur: non protinus tamen eam mutabilem esse, vel etiam dividi posse consequitur, præsertim eo sensu, quem nobis injuriâ tribuit Carmelita, dum post illa verba, *quæ dividi poßit tamquam pecunia*, subjicit, *quemadmodum isti volunt*. Nõ igitur hæc ita conjungere debebat, ac si necesse esset, hæc omnia simul divinitati adscribi, si unum eorum jurè illi tribui possit, quod verba illius præ se ferunt, sive particulæ illæ *aut*, &, *vel* disjunctivè accipiantur, quæ propria est, sive conjunctivè vel expositivè, quæ, licèt minùs propria, non inusitata tamẽ est ipsarum significatio. Nam si quis quærat, utrum divinitas sit mutabilis, aut divisibilis sicut pecunia? quis non videt, non necesse esse simpliciter respondere, esse, aut non esse: sed posse ita responderi, ut ex parte affirmetur, ex parte negetur. Immo præter has duas, tertiam adhuc hìc fallaciam inesse, videri meritò possit. Quia enim simpliciter dicere licet, divinitatem, eo sensu, quem exposuimus, sumptam, dari posse; hinc infertur, dari posse divisim, & pecuniæ instar; &, quia secundum quid concedi fortasse possit, eam esse divisibilẽ, infertur, posse eam dividi instar pecuniæ &c. Ex his perspicuum est, non solùm rationem adversarii per se elumbem esse, verùm etiam ea, quæ ad ipsam quodammodo confirmandam subjunxit, nullum habere pondus. Accedit, quòd cùm insuper rationis loco id afferat, propter quam divinitas non sit mutabilis,

bilis,nec dari vel dividi possit,ut conjunctio causalis *enim* præ se fert, quòd non sit quantitas &c. in novam reprehensionem incurrit. nec enim sola quantitas mutabilis est;nec sola dari aut dividi potest. quũ nec sapientia, nec bonitas,nec fides,quæ donum Dei appellatur, nec præstantissimum illud Spiritus Sancti donum, nec imperium ac potestas divina,de qua nobis hoc loco est sermo, aliaq; generis ejusdem sint quantitates,quæ tamẽ cõmunicari,& ita dari rebus creatis,& certa proportione dividi posse & solere,immo verò etiã mutationi cuidam obnoxia esse, quatenus possunt dari & auferri, augeri & minui, nemo inficiabitur. At verò multo minùs Adversarii error excusari poterit,si consideretur, eum non simpliciter negasse divinitatem esse quantitatem, sed cum adjectione illorum verborum: *ut possit dari,quasi unum frustum ejus,& aliud non dari*, &c. Sic enim ille ineptè loquitur. Nam quis insignem hujus ratiocinationis defectum non animadvertat? Hoc non est hujus generis quantitas: Ergo non potest dividi. Quid si enim sit alterius generis quantitas? Vel, Non potest hac ratione dividi,quemadmodum illud,quod in frustra secatur.Ergo nulla prorsus ratione potest dividi. Quid si enim alia quadam ratione dividatur? ut jam ostendimus in superioribus exemplis. Iam si quid ab illis verbis Carmelita speret auxilii,quæ subnectit: *Qui dicunt, datam esse veram divinitatem sine æternitate*, multùm opinione sua fallitur. Quæ enim est ratio consequentiæ? Vera divinitas datur sine æternitate. Ergo divinitas est quantitas, eaq; frustatim divisibilis. Quid si enim sit qualitas, quæ non per frusta detur, sed eo modo, exempli gratia, quo Angelis,qui Dii in sacris literis appellantur,throni, potestates, majestates, dominationes,quæ omnia gradus ipsorum dignitatis & potestatis distingvunt, sunt a Deo tributæ? Ac divinitatem quidem veram, non falsam & imaginariam,creaturis a Deo dari sacræ litteræ docent, dum eas deorum nomine insigniunt. At æternitatem a parte antè, ut loquuntur, nulli creaturæ dari posse, omnes Christiani,scripturam S. & sanam rationem sequuti,affirmant. Quî igitur jure reprehendi potest is, qui veram divinitatem cum æternitate a parte pòst, in Christo homine in ipsius Dei throno collocato, sanctè agnoscat, & propterea,quòd ipsi donatum sit nomen supra omne nomẽ,ipsi genu flectat,divinaq;adoratione veneretur:quamvis præter & contra scripturæ auctoritatem, æternitatem a parte antè ipsi tribuere non audeat? Adde quòd divinitatem in eum sensum,quẽ toties inculcare piget, acceptam, non tantùm dari, sed quod plus est à Deo

a Deo donari (cujus vocis usum non sine causa Carmelita declinat) non sit absurdum, sed potiùs singularis divinæ sapientiæ, potentiæ & bonitatis argumentum contineat. At prææternitatem illam quam vocant Adversarii, a Deo altissimo alii cuipiam personæ, quæ sit ejusdem numero essentiæ cum illo, datam esse, contradictionem implicat: donari verò tam absurdum est, ut ipsi Adversarii planè inficientur. Satis igitur liquere arbitror, ad veram divinitatem Christo tribuendam, nō necesse esse ut ea ab æterno ipsi competat. Sive enim ab æterno & per naturam potestatem divinam quispiam habeat, sive certo & definito tempore, adeoq; per gratiam, eam acceperit, dummodo verè habeat, veram divinitatem ipsi competere, quivis concedat oportet. Quare frustra subdit Carmelita: *Oportet igitur, ut si Christo vera divinitas competit, tota & ab æterno illi competat.* Verùm ne in his quidem tam paucis verbis a captione abstinuit. Nam dum nos voce *totius* tacitè vult perstringere, minùs attento lectori ambiguitate ipsius imponit. Non enim nescit, tantam nos potestatem in Christo agnoscere, quanta in re creata, & a conditore omnium ad summum sublimitatis fastigium evecta, inveniri major potest nulla, cui cùm nihil planè desit, quod ad Christum, hoc est, perfectissimum & absolutissimum populi divini regem constituendum pertinet, totam divinitatem hoc sensu eidem competere, agnoscatur necesse est. Mox tamen suo se prodit indicio. nam voci *tota*, adjungit, *& ab æterno*, quæ sola per se ad id concludendum, quod sibi proposuerat Adversarius, sufficiebant, nisi rem paullo occultiùs tegere vocabulo *totius* voluisset, quam tamen posterioribus verbis imprudens detexit. Numquid enim ideo totam divinitatem Christus nō habebit, quia ab æterno ipsam non habuit? Ad hoc sanè concludendum, eandem esse rationem æternitatis a parte antè ad potestatem & imperium divinum, (hæc enim vera est Christi divinitas) quæ est partis ad totum, docere debuit Adversarius. Quod cùm non præstiterit, contrà verò nos ex sacris litteris docuerimus, imperium divinum Christo a Patre donatum esse, æternitatem a parte antè donari cuipiam ipsi adversarii absurdum censeant, conclusionem ex præmissis, quæ probationis plurimùm indigent, perperam intulisse censendus est. Quin nec illud astu caret, quòd, cùm alioquin veram divinitatem pro essentia divina usurpatam, Christo a Patre datam esse affirment Pontificii, & hîc ratio concludendi postulasse videatur, ut ad eum modum loqueretur Carmelita: Oportet ergo, ut, si Christo vera divinitas data sit,

tota

tota & ab æterno data ſit; pro voce *dandi*, vocem *competendi* ſubſtituerit, ne nos immeritò cavillatus eſſe videretur, qui Chriſto datam veram divinitatem eſſe, licet diverſo ſenſu, affirmamus. Quare multo rectiùs nobis ex iis, quæ ſuprà diſputavimus, concludere licebit: Cùm divinitas dari, immo verò etiam donari, hoc eſt, ex gratia conferri poſſit, quemadmodum ex iis ſcripturæ locis, quæ Magiſtratus Deos appellat, apparet: ab æterno autem nemini quidquam donari potuerit, oportet, ut, ſi Chriſto vera divinitas donata eſt, quod locus Pauli comprobat, tota quidem, ſed non ab æterno, nec per naturam, ſed per gratiam ipſi competat.

Prima ratione ad hunc modum proſtrata & profligata, ſecunda ſponte ſua ruit, cujus hæc vis eſſe videtur: Divinitas non eſt rès talis, quam Chriſtus morte ſua promereri potuerit. Ergo per nomen ſupra omne nomen, quod propter obedientiam uſq; ad mortem Chriſto donatum eſt, non poteſt divinitas intelligi. Reſpondeo: ſi per vocem *divinitatis* Carmelita intelligit eſſentiam divinam, cum umbra ſua pugnat. nec enim nos dicimus, hoc nomen ſuper omne nomen idem eſſe cum eſſentia divina. Si verò imperium divinum per eam vocem intelligit, conſequentiam negamus, ſi modò vox *promerendi* propriè accipiatur. Paulus autem, licèt Chriſto nomen illud propter obedientiam uſq; ad mortem crucis donatum aſſerat, non tamen Chriſtum id propriè loquendo promeritum eſſe affirmat, aut affirmare poteſt. quomodo enim Chriſto id nomen *donatū* ſeu *gratis datum* (eſt enim in Græco vox ἐχαρίσατο) aſſerere poſſet, ſi id meritum eſſe Chriſtum ſtatueret; cùm donum ſeu gratia & meritum propriè dictum prorſus pugnent? Sed dicet Carmelita, ſe non ſimpliciter affirmaſſe, divinitatem non eſſe rem talem, quam Chriſtus ſua morte promereri potuerit: ſed cum additione, *Antequā Deus eſſet*. Quaſi verò, poſtquam Deus jam fuit, nempe per naturam, ut in gratiam Adverſarii ita loquamur, divinitatem promereri Chriſtum potuiſſe, probabilius cenſeri debeat. Cui umquam in mentem venire potuit, id Deum promereri poſſe, quod naturaliter habet? cùm potiùs unicuiq; ſanæ mentis obvium ſit, qui naturâ & ab æterno Deus ſit, eum numquam quidquam promereri poſſe. Nam apud quem, obſecro, promerebitur? num apud aliam quampiam perſonam ſe ſuperiorem? Atqui hoc blaſphemum eſt; altiſſimo enim nihil eſt ſuperius. Num apud eam, quæ ſibi ſit per omnia æqualis? Atqui hoc abſurdiſſimum eſt, & Adverſarii noſtri aſſertioni repugnans, qui dixit: æqualium

qualium unum nihil habere, quod non habeat aliud: haberet autem, si Deus apud aliam personam sibi per omnia æqualem quippiam mereretur. id enim ipsum, quod quis apud alterum meretur, ipse in potestate sua nondum habet: is verò, apud quem meretur, ut id habeat necesse est, nisi fortè alterum istum frustrà meritum dicas, suorumq; laborum pręmio frustrari statuas. Num ergo apud seipsum Deus quippiam potest mereri? Atqui nihil opus est illud promereri, quod quis a seipso & naturâ suâ habet: longeq; hoc intolerabilius est, quàm si dicas, quempiam sibi quidpiam dare aut dedisse. Deus ipse est qui donat atq; largitur, seu mavis meritis, si qua sunt, dignam mercedem dat: quomodo igitur aliquid promereatur? Sed recurret Adversarius ad erroris sui asylum, hoc est, consvetam petitionem ejus quod in principio, & Deum non secundum divinam, sed secundum humanam naturam promereri quidpiam posse dicet. Ego verò usitata quidem, sed, nisi fallor, legitima Adversariũ urgẽdi ratione prætermissa, adhuc scilicet sub judice litem esse, an harum duarum naturarum unio in una persona dari possit; dico, non tantùm non necessarium nec verisimile, sed ne possibile quidem esse, ut etiam secundum humanam naturam Christus quidquam propriè meritus fuerit apud Deũ. Nam gratuitò aliquid obtinere, & per modum meriti propriè sic dicti, pugnant invicem. Et sanè, si humana Christi natura divinæ, ex pura & ineffabili Dei benignitate ac misericordia, copulata est, quid opus fuit eam aliquid promereri? Annon per illam unionem aut omnia simul consequuta est; aut, ut consequeretur, nullum proprium ac verum meritum requirebatur? Sed ne requiri quidem potuit, cùm verum ac proprium meritum, non tantùm id requirat, ut is, qui mereri vult, sit ab omni obligatione ea præstandi, quæ præstat, prorsus liber; sed etiam laborem, qui mercedi æquipolleat, necessariò postulet. At verò nihil tam molestum, tam arduum & difficile ab humana natura divino jussu fieri potest, ad quod præstandum non sit omnino obligata; quodq; æquivalere possit tantæ dignitati, quantam divina liberalitas Christo largita est. Neq; verò ex eo, quòd cum Apostolo profiteamur, Christo donatum esse nomen supra omne nomen, quia fuerit obediens Deo usq; ad mortem crucis, jurè concludere potest Adversarius, obedientiam Christi usq; ad mortem, tamquam verum & proprium meritum intervenisse, quemadmodum verba ipsius præse ferunt: *Nam isti dicunt, quod propter mortem est data.* Nam si obedientia Christi usq; ad mortem crucis, ex nostra, & ipsius Pauli sen-

tentia, est causa exaltationis Christi antecedens necessaria, &, ex decreto divino, ad eam consequendam sufficiens; an non jure potest dici, *ideò* vel *propterea*, quòd Christus fuit obediens usq; ad mortem crucis, ei fuisse donatum nomen super omne nomen, etiamsi hæc obedientia non sit causa meritoria propriè dicta, istius exaltationis Christi, seu donationis istius nominis super omne nomen? Præcessit igitur mors Christi coronam gloriæ & divinitatis, quam jam habet, non tanquam meritum propriè sic dictum, sed tamquam id, sine quo, Deo ita sapientissimè & justissimè decernente, Christus gloriam suam consequi non potuit, & cujus interventu, ex ejusdẽ voluntate, data est Christo a mortuis excitato potestas in cælo & in terra, atq; ita nomen supra omne nomen ipsi est donatum. Sed age, patiamur vocem *promerendi* a proprietate sua nonnihil deflectere, & commento pontificiorum de Christi merito non obstante, fingamus, sensum verborum Adversarii esse, quasi diceret, Christum non potuisse ulla ratione dignum censeri, ut divinam potestatem consequeretur, propter suam obedientiam usq; ad mortem, nisi ipsius humanæ naturæ divina essentia juncta fuisset. Nam si rationem habere velimus, non quidem ipsius obedientiæ Christi, ad mortem usq; Patri præstitæ, per se & in sua natura consideratæ, sed divini decreti atq; promissi, quod non nisi interventu Christi obedientiæ felicem exitum sortiri poterat; nõ sibi tantùm, verùm etiam nobis Christum quidpiam meruisse, salva veritate concedi potest. Posteaquam enim omnia sibi a Patre injuncta, plenè & omnibus numeris absolutissimè implevisset & perfecisset, adeò ut animam suam, quemadmodum loquitur Esaias, ponere non recusaverit, dignum profectò fuit cap:53.v.10.
vi hujus decreti ac promissi divini, quo se tamquam nexu quodam Deus mentiri nescius, justitiæq; & æquitatis tenacissimus, sponte & liberaliter obstrinxerat, ut voluntas Iehovæ in manu ejus prosperaretur, & semen videret dies prolongaturum, hoc est, ut ad tantam potestatem eveheretur, quâ omnes, qui in ipsum credunt, & ita per spiritum obedientiæ semen ipsius, sive liberi existunt, a mortuis resuscitaret, & ab æterno interitu vindicatos, immortali vita bearet. Hanc enim esse patris voluntatem Iohan. cap. 6. Christus ipse pro- v.39,40.
fessus est. Atqui nihil affertur, nec afferri potest ab Adversario, ex quo vel per speciem appareat, ad hujusmodi dignitatem, vel etiam meritum, ut jam ita loquamur, in Christo constituendum, omnino supponendam esse deitatem, id est divinam naturam, quam ab æterno habuerit. Tantum enim abest, ut aliquid impediat, quominus Christus ut

stus ut homo, extra omnem divinę naturæ, quæ homini illi juncta sit, rationem, vi divini decreti & pacti, meritò ad tantam sublimitatem evehi potuerit, ut etiam divina gloria, cujus splendor ex admirabili ipsius potentia, sapientia, & bonitate, in hoc negotio potissimùm relucet ac refulget, hoc ipsum postulare videatur. Quin potiùs contrarium verissimum esse; hoc est, si tale meritum admittendum sit, planè requiri, ne Christus divinam naturam habeat, partim ex iis, quæ paullo antè disputavimus, colligitur, partim ex eo, quòd Deo, qui naturâ & ab æterno est perfectissimè & absolutissimè potens, omniq; ex parte ac sufficientissimè beatus, aliquid a quopiam decerni, ipsiq; certa cum conditione, quam implendi necessitas eidem omnino incumbat, si potestatem & beatitatem cum gloria summa conjunctam consequi velit, promitti nequeat. Verùm subjungit Adversarius: *Ergo secundum istos, Christus dum passus est, cum nondum haberet divinitatem, non poterat illam morte sua promereri: quomodo ergo propter actionem ejus, qui nondum erat Filius Dei, adhuc per adoptionem, interpretantur, dicere Apostolum, quòd Deus dedit suam Divinitatem Christo.* Sed præterquam quòd eandem argumentationem otiosè repetit, cavillatur etiam, vel potiùs calumniatur Adversarius, dum ita nos traducit, ac si negemus, Christum ante mortem filium Dei fuisse. Secundò, dum non contentus nuda filii Dei mentione, adoptionis meminit, quasi ne per adoptionem quidem Christus filius Dei fuerit ante mortem ex nostra sententia. Tertiò, dum non simpliciter divinitatem, sed *suam* divinitatem Deum Christo dedisse, nos interpretari dicit. Quæ omnia, etsi unicuiq; cordato eo ipso suspecta reddi possint, quòd satis quidem confidenter, sed sine probatione nobis tribuat, adeò ut conjectare nos oporteat, unde & quomodo ea ex nostra sententia deduxerit: tamen paucis examinare operæ pretium fuerit. Primùm igitur ex eo egregiam occasionem nos cavillandi sibi nactus videtur Carmelita, quòd Christus divinitatem, quam jam habet, morte sua interveniente sit consecutus. Vnde proculdubio infert, Christum, stante nostra sententia, ante mortem filium Dei non fuisse. At cùm rationem consequentiæ nullam afferat, simplici ejus negatione collectio hujusmodi evertitur. Sed fingamus ita argumentari adversariũ: Christus ante mortem Deus non fuit: Ergo nec filius Dei. Antecedens probatur: Quia post mortem demum divinitatem consequutus est. Consequentia verò: Quia idem est in Christo, Deum esse, & filium Dei esse; sive, eadem est utriusq; ratio. nam divina potestas & imperium constituit Christum tam Deum, quàm Dei filium, Sed

um. Sed multiplex in hac ratiocinatione latet fallacia. Nam præter duplicem homonymiam, a dicto secundum quid ad dictum simpliciter, & consequentis elencho laborat. Homonymia est primùm, in voce *Dei*, seu *divinitatis*. Secundò, in verbis, *filii Dei*. nam utrumq; horum in Christo diversimodè accipi potest. Christus enim Dei filius & porrò Deus, vel ea ratione appellari potest, quâ nulla excellentior in re creata inveniri potest: vel minùs perfecta, cui videlicet ad eminentissimum hunc divinæ dignitatis gradum nonnihil deest. Hæc in Christo adhuc in terris mortali locum habuit: illa non nisi immortali facto & ad dexteram Dei in cœlis collocato competit. Quatenus enim Christus, licet olim mortalis, divinam potestatem in se ipso residentem habuit, quam etiam cum aliis, quoties opus erat, communicabat, imperiumq; verè divinum admirabili ratione super dæmones, super morbos hominum, & mortem temporariam, super mare deniq; & ventos exercebat, propterea q; divina ratione passim adorabatur & invocabatur, eatenus ipsum insignem cum Deo altissimo similitudinem habuisse, filiumq; Dei, immo Deum revera fuisse, meritò credimus. Porrò, cùm hæc Christi potestas & imperium divinum, quod in terris exercuit, non parum abfuerit ab ea perfectione, quam jam est adeptus, cum, ut auctor ille ad Hebræos loquitur, perfectus factus, sive consummatus, factus est caussa salutis æternæ omnibus qui ipsi obediunt; quis affirmare ausit, ipsum ea ratione Dei filium & Deum fuisse ante mortem, quâ postea evasit, aut, quod majus est, naturâ Deum esse? Huic enim ad perfectionem nihil potest accedere: quod & ipse Carmelita suprà adversus nos ursit. Quanta autem Christo, mortalitatis exuviis soluto, ad ejus potestatem imperiumq; facta sit accessio, alibi a nostris sæpiùs copioseq; explicatum est. Tum demum data est Christo omnis potestas in cælo & in terra, cum a mortuis excitatus, sublimior cælis est factus, soliumq; regni patris sui occupavit. vide, si libet, hæc loca: Matth:28.v.18.1.Pet:3 v.22. collato cum Matthæi 22. v. 43. Heb. 1. v. 4,5,6. Ioh. 5. v. 21,22,23,26,27. Rom. 14 v. 9. Ioh. 7. v. 39. Act. 2. v. 32. Hinc illa Christi verba Ioh. 14. v. 28. *Si diligeretis me*, ait Apostolis paullo ante mortem suam, *gauderetis utiq; quia dixi, Vado ad patrem; quia pater meus major me est.* Quæ postrema verba, numquam quisquam rectè intelligere poterit, qui non agnoverit, non solùm Christum Patri suo per omnia æqualem non esse, quamvis secundùm quid sit; sed etiam, dum in terris versaretur, multa ei defuisse eorum, quæ post resurrectionem consequu-

Hebr. 5. v. 9.

ſequutus eſt. Vnde conſtat, eos, qui Chriſtum tantam poteſtatem & gloriam divinam prorſus habuiſſe opinantur, priùs quàm paſſus, patriq; obediens fuiſſet uſq; ad mortem crucis, parum expendere multa ſacrarum literarum teſtimonia, quæ contrarium ejus, quod ipſi affirmât, continent. Nonne enim, ut Chriſtus ipſe loquitur, ita oportu-
Luc.24.v.26. it Chriſtum pati, & intrare in gloriam ſuam? nonné præcedere debe-
1 Pet 1.v.11. bant paſſiones, illas quæ ſubſequutæ ſunt glorias? nonné decebat e-
Hebr.2.v.10. um propter quem omnia, & per quem omnia, multos filios in gloriam adducentem, auctorem ſalutis eorum per paſſiones conſumma-
ib.v.9. re, ſive perfectum efficere? &, propter paſſionem mortis, gloria &
cap.5.v.8,9. honore coronare? & poſtquam didiciſſet ex iis, quæ paſſus eſt, obedi-
cap.12.v.2. entiam, conſummare, cauſsamq; ſalutis noſtræ conſtituere? cumq; pro propoſito ſibi gaudio crucem ſuſtinuiſſet confuſione contem-
Apoc 3.v.21. pta, in dextera throni ſui collocare? in quo conſidere tum demum ipſum par erat, cum victor evaſiſſet.

Quare non eſt quod quiſquam ignorans elenchum, nobis objiciat repugnantiam, quæ in noſtra ſententia ineſſe videtur, cum Chriſtum morte ſua interveniente divinitatem conſequutum affirmamus, & tamen eundem ante mortem Dei filium fuiſſe, ac divinitatem habuiſſe confitemur. Quamquam locus ipſe Pauli, qui nomen ſupra omne nomen, hoc eſt, poteſtatem ſupra omnem poteſtatem poſt mortem Chriſto donatam aſſerit, hanc apparentem contradictionem penitus tollit. Deinde fallacia a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter in hac collectione committitur, quatenus Chriſtum ante mortem filium Dei non fuiſſe, abſolutè nullaq; determinatione adhibita, ex eo colligitur, quod certo reſpectu & cum grano ſalis, ut ajunt, acceptum concedi poteſt, & perinde concludatur, atq; ſi quis ita argumentetur: Chriſtus hac ratione non fuit filius Dei, quâ jam eſt. Ergo nulla ratione fuit filius Dei. Deniq; conſequentis paralogiſmo laborat hoc argumentum. cùm enim veriſſimum ſit, Chriſtum, quâ Deus eſt, etiam filium Dei eſſe, quaſi reciprocè verum ſit, quacumq; ratione filius Dei eſt, eadem ratione Deum eſſe, ita infertur: quia Deus ante mortem non fuerit (quod tamen ſimpliciter prolatum verum non eſſe, ex ſuperioribus patet) nec filium Dei eſſe potuiſſe. Atqui hæc non ſunt planè convertibilia. nam Chriſtum aliis nonnullis peculiaribus de cauſſis, quæ ſub rationem ipſius divinitatis, vel deitatis, propriè & accuratè loquendo, non cadunt, filium Dei eſſe facilè de-
Luc.1.v.35. monſtrari poteſt. Etenim ratione conceptionis e ſpiritu ſancto, &

nativi-

nativitatis ex virgine, ratione item resurrectionis a mortuis, qua mediante quasi denuo genitus est Christus a Deo, cujus spiritu vivificatus est, ratione deniq; perfectissimæ sanctitatis, & beatissimæ immortalitatis (ex quibus duobus postremis naturam divinam, cujus mentionem facit D. Petrus, res creatæ participant, & ita filii Dei existunt) horum, inquam, singulorum, & multo magis conjunctim sumptorum respectu, Christum esse filium Dei certum est. Atqui hæc omnia, sive sigillatim considerata, sive simul juncta, non efficiunt, ut Christus extra divinam potestatem consideratus, Deus ex usu S. scripturarum dici debeat: immo omnia ferè, aut certè præcipua, cum reliquis fidelibus sunt Christo communia, neq; tamen eapropter fidentes Deorũ appellatione insigniuntur, licet filiorum Dei loco censeantur. Matth. 5. v. 9, & 45. Luc. 20. v. 36. Rom. 8. v. 14, 16, 17, 21, 23. Gal. 3. v. 26. Rectè igitur concluseris: Christus ante mortem Deus erat. Ergo & filius Dei. at non vice versa: Christus filius Dei fuit, Ergo & Deus. unde inferri possit: Non fuit Deus, Ergo nec filius Dei. nisi velis ad hunc modum explicatiùs loqui: Christus filius Dei fuit ratione similitudinis, quoad divinam potestatem in se manentem: Ergo ratione ejusdem potestatis fuit Deus. Vel, Christus non fuit Deus, ratione ejus, quam nunc habet plenissimè, potestatis: Ergo ratione ejusdem reipsa nondum fuit filius Dei, nisi quatenus ea potestas ipsi necessariò decreta fuerat. Ex his liquet, quàm immeritò Carmelita, nobis hanc sententiam affingat, quòd ne per adoptionem quidem Christus ante mortem filius Dei fuerit. Multò autem graviori nos afficit injuria, si adoptionis vocem hoc loco propriè usurpet. Propria autem adoptio est, in qua is, qui adoptatur, revera filius non est, sed tantùm filius esse censetur. Nam alioquin sacræ litteræ minùs propriè adoptionis voce uti solent, cum eam fidelibus accommodant; nempe, quatenus ab initio ortus sui naturalis, sive essentiæ humanæ, non sunt a Deo geniti, nec, Angelorum instar, creati filii Dei, sed temporis progressu, cum jam revera existerent, nova quadam & spirituali ratione sunt ex Deo nati, & quasi denuo producti, per eam scilicet generandi actionem, quæ divinæ naturæ non repugnat, immo apprimè congruit. Interim tamen qui Deo confidunt, præsertim eo modo quem Christus præscripsit, non tam habentur pro filiis, quàm revera sunt filii Dei. Revera enim sunt a Deo geniti, nõ quidem hominum more, sed divino quodam modo, nempe per communicationem spiritus sancti, quem per Evangelium Iesu Christi consequimur, cujus virtute, quasi seminis cujus-

Act. 13. v. 32, 33.
2 Pet. 1. v. 4.

cujusdam spiritualis in ipsis manentis, veræ sanctitatis similitudinem cum Deo in hac vita sunt adepti: quemadmodum olim beatæ im-mortalitatis hæreditatem (quæ longè perfectior erit naturæ divinæ
Rom.5.v.11. participatio) in vitam a mortuis revocati, propter eundem spiritum in se habitantem consequentur, & proinde non magis quidem verâ & propriâ, sed longè perfectiori ratione filii Dei efficientur. Si igitur de fidelibus valde impropriè dicitur, quòd per adoptionem sint filii Dei; quanto minùs propriè Christus per adoptionem filius Dei dicetur? Is enim ita a Deo genitus est, ut ab ipso existentiæ suæ initio ne-
Luc.1.v.35. minem alium umquam patrem habuerit, præter ipsum Deum, cujus spiritu superveniente, & castissimam virginem obumbrante, conceptus est in matris utero, & ex ea absq; ullo virili semine natus. Qua de caussa non adoptivus, sed naturalis filius Dei dici potest. Immo
Joh.1 v.14,18.
Rom.8.v.32. verò etiam unigenitus & proprius. quamquam sunt plura longè majoris momenti, ob quæ ita appellatur. Præterquam enim, quòd Deo sit omnium charissimus, nõ tantùm hominum, sed etiam angelorum respectu solus peculiari quadam ratione est Dei filius: quatenus videlicet virtute spiritus divini, tantam cum Deo similitudinem & in terris habuit, & multò magis in cælum evectus consequutus est, quã-tam nullus umquam mortalium, ipsorumq; adeò angelorum obtinuit. Quæ cùm ita sint, quis non videt, salvâ nostrâ de Christi divinitate post mortem obtenta, sententiâ, eũ non modò per adoptionẽ, sed plus quàm per adoptionem; vel potiùs, non per adoptionem propriè sic dictam, sed naturaliter & reipsa, verè (quatenus quidem in Deum generatio cadere potest) ac peculiari ratione etiam ante mortem filium
Rom.1.v 4.
Act.13.v.32,33.
Heb.5.v.5. Dei fuisse. Neq; quicquam huic nostræ sententiæ officit, quòd per resurrectionem & glorificationem Christum a Deo genitum, sive filium Dei extitisse cum scriptura affirmamus. Quis enim inficabitur, eum longè perfectiori ratione a Deo genitum & filium Dei esse, qui cùm antea mortalis, & ignominiosissimo mortis genere e vivis sublatus fuerit, jam non modò a mortuis excitatus non ampliùs moritur,
Act.13.34.
Rom.6.9.
1 Cor.15.45. & v. 26,27.
Ephes.1.v.20,22.
Philip.3. v. 21.
Hebr.2.v 8,9.
Apoc.1.18.
Matth. 28.v.18. immo ne mori quidem potest: verùm etiam resurgendo id cõsequutus est, ut omnia suis pedibus subjecta habeat, id est, ut explicat Paulus Phil 3. potest sibi subjicere omnia, & consequenter mortem in suis membris abolere, suosq; immortales efficere; & simul per resurrectionem id est adeptus, ut non hominum tantùm, sed angelorum etiam omnium, sive boni sint sive mali, sit Dominus; nec quicquam aut in cælo, aut in terra, aut sub terra sit, quod illius imperio, non magis quàm

gis quàm ipsius Dei voluntati resistere queat. Quod & hic locus, quē examinamus, satis expressè docet. Sciat igitur universa Christianorum domus, quòd hunc Iesum, quem Iudæi crucifixerunt, & non alium, fecit Deus Dominum & Christum, vel, si mavis sequi Hilariū, Deum & Christum, id est, filium illum suum singularem, singularissima ratione genuit. Christum enim esse, & talem Dei filium, æquipollere postea ostendemus.

Act:2.v.32.&c.
Rom.14.v 9.
Ephes.1.v.20.
Coloss.1.v.18. &
2.v.10.
Hebr.1.v.3.&c.
1 Pet.3.v.21.22.
Apoc.5.v.12,13.

Restat ut explicemus, quod tertio loco in Adversarii cavillatione notavimus. illud autem est, quòd non contentus verbi *donandi* in vocem *dandi* captiosa commutatione, ut semper hactenus fecit in relatione nostræ sententiæ, Deum divinitatem *suam* Christo dedisse ait, supplens de suo pronomen possessivum *Suam*, quod & ambiguum est, nec in nostra argumentatione usquam reperitur. Ambiguum est, quia, si Dei divinitas pro ea potestate divina accipiatur, quæ a Deo tāquam primario fonte promanat, & effectus verè divinos producit, & ad eum tanquam ad ultimū suum finem tota refertur, concedi potest, Deum suam divinitatem Christo dedisse: At, si essentia vel etiam potestas divina eadem numero hoc pronomine significetur, numquam dicimus hanc Christo datam esse: immo eam hac ipsa de caussa dari non posse credimus, quia sit una numero.

His ad hunc modum discussis, quomodo locum Pauli explicet Carmelita, superest ut videamus: *Concludamus ergo*, inquit, *cum aliàs notum sit, sæpe dari nomen, cùm tamen ratio nominis longè ante conveniret, Apostolum non dicere, propter quod dedit illi nomen, id est, divinitatem; sed nomen, id est, declarationem suæ divinitatis, quæ facta est per impositionem nominis super omne nomen* &c. Tanta fuit Adversarii incogitantia, ut aliud proposuerit, aliud probare conetur, aliud concludat. Propositio est, quòd sensus loci legitimus sit iste: *Deum dedisse Christo exaltationem sui nominis*. hac omissa probare nititur, nostram explicationem consistere non posse; & tandem concludit, sensum esse, quòd Deus dederit Christo declarationem suæ divinitatis, factam per impositionem nominis. Sed ponamus exaltationem sui nominis, & declarationem suæ divinitatis per impositionem nominis, pro æquipollentibus haberi ab adversario. Quod si concedatur, posteriori explicatione refutata, priorem eâdem operâ convulsam esse, existimet necesse est. Quominus autem huic sententiæ fidem commodemus, quâ statuitur, Apostoli verborum sensum esse, quòd Deus dederit de-

derit declarationem divinitatis (puta, naturalis) Christo factam per impositionem nominis &c. his rationibus movemur. 1. Quòd nondum constet, an Christus naturalem divinitatem habeat. Ergo tantisper incertum erit, eam declaratam esse a Deo per impositionem hujusmodi nominis, donec probetur Christum esse naturâ Deum. 2. Etiamsi certissimò constaret, Christum divinam naturam habere, tamen vel ob id ipsum declaratio ista divinitatis, qualem nobis obtrudit Adversarius, consistere non posset. Qui enim unus ille & naturâ omnipotens Deus est, omniaq; a se ipso habet, ei declarationem divinitatis ab alia quapiam persona dari, &, quòd plus est, donari, nihil est opus, planeq; ἀδύνατον censeri debet. Si igitur Christus est naturâ Deus, an non sine ullo alterius personæ dono, manifestissimam suæ divinitatis declarationem habere poterat? 3. Non tantùm incertum est, quod pro concesso sumit Adversarius, & quod si certum esset, plurimùm ipsius caussæ obesset: verùm etiam contrarium planè verum esse, suadent verba Apostoli, Christum videlicet naturalem divinitatem non habere. Nam seipsum humiliare, Deo obedire, mori, & quidem ignominiosissimo mortis genere, a Deo exaltari, ex dono alterius obtinere nomen supra omne nomen, idq; præmii cujusdam loco, ut fatentur adversarii, denique propter hoc nomen gratuitò obtentum, adorationem ab omnibus alicui deberi, adeò ut, nisi illud obtinuisset, adorari ab omnibus non posset, tam a natura divina abest, quàm quod longissimè. *Hujus* enim contraria sunt attributa: altissimum semper esse, nemini subesse, sed omnia suo imperio subjecta habere, perpetuò vivere, nec mori posse, exaltare, dona sua in alios conferre liberaliter, præmio se digno sibi morem gerentes afficere, & quia omnia creaverit, & propter voluntatem ipsius sint, & creata sint, adoratione dignum esse. Quomodo autem hæc de uno eodemq; subjecto prædicari simul possunt? Dicet Adversarius, secundum humanam naturam de Christo illa priora dici. Quasi verò nos illud negemus, aut quasi hoc ipsum, quòd Christus humana natura præditus est, minùs validum sit argumentum ad ostendendum, quòd natura divina careat, quàm id de quo jam agitur; aut deniq;, quasi ea, quæ Spiritus S. hoc loco de Christo prædicat, de natura tantùm intelligi possint, non verò etiam de persona humana accipienda sint: cùm obedire & mori, ut cætera omittam, personæ tantùm conveniant. Adde quòd, cum Christus humiliasse seipsum dicitur, hoc ita intelligatur secundum plerosq; Adversarios, quòd divina natura seipsam

quodam.

quodammodo demiſerit; & ita aliud hîc quærere oporteat effugium, quàm hoc eſt, quòd ſecundum humanam naturam illa omnia ſint intelligenda. 4. Quinetiam videtur Carmelita ſuorum placitis adverſari, dum, per impoſitionem nominis iſtius, declarationem divinitatis datam Chriſto arbitratur. Vrgent enim alioquin adverſus nos ipſius Symmyſtæ, nomen Dei Chriſtum ante mortem habuiſſe. Atqui illud imponi, quod quis jam habet, abſurdum eſt. Ergo & declaratio divinitatis Chriſti, qualem adverſarius introduxit, abſurda. 5. Deniq;, cum in præmium humilitatis hanc declarationem divinitatis Chriſto datam eſſe ajunt Adverſarii, aut hoc præmium in manu & poteſtate Chriſti ſemper fuiſſe credunt, aut non credunt. Si credunt, ut opinio de divina Chriſti natura ipſos planè cogit; quænám eſt hæc obſecro ratio præmio aliquem afficiendi, propterea quia obediens fuerit, ita ut ne atrociſſimam quidem mortem alterius juſſu ſubire detrectârit, id ei donare, quod in ejus arbitratu & plenaria poſſeſſione eſt poſitum? Si non credunt, abſurdo jam demonſtrato omnino prohibiti, quomodo is, qui in ſua poteſtate id nō habet, quod Deus altiſſimus, ille ipſe Deus altiſſimus eſſe poteſt?

Tandem Carmelita ſimilitudine explicationem ſuam loci Paulini declarat, cujus tamen nulla vis eſt, & in ipſum Carmelitam non difficulter retorqueri poteſt. Rex enim, dum Senatorem creat, omnia quæ ad munus ſenatorium pertinent, & de natura ipſius ſunt, Senatori a ſe creato confert: illa, quibus Rex inducitur, ut munus ſenatorium alicui mandet, ita pertinere ad munus Senatoris, ut de natura Senatoris ſint, nullo modo poſſunt. Pari ratione & Chriſto, cum datum eſt nomen ſupra omne nomen, quicquid ad iſtud nomen pertinet, quod de natura nominis ſit, donatum eſſe oportuit, & proinde divinitatem, quam hoc nomine ſignificari, etiam agnoſcit Carmelita. Ea verò, quibus ad donandum nomen ſuper omne nomen inductus videtur Deus, illa fuêre, quæ hanc donationem præceſſerunt, nimirum Chriſti exinanitio, humilitas, obedientia ad mortem, mortem autem crucis. Imponit autem Carmelita, dum per iſtud nomen nudum tantùm nomen intelligit, citra rem eo nomine ſignificatam.

Vide autem hîc attente lector, quo conſilio adverſarius terminum argumenti noſtri, *Nomen ſignificat divinitatem*, ita mutârit, quaſi dixerimus, *Nomen eſt divinitatis*. Voluit nimirum noſtrum argumentum ſuę reſponſioni & ſimilitudini accommodare, cùm non haberet, quod ad illud directè & ſolidè reſponderet. Quod verò ſubdit, *ex innumeris*

numeris locis S. Scripturæ patere, divinitatem Christi non eße datam ex gratia, sed naturalem eße, id quàm sit incertum, ex locorum, quos tanquam præcipuos ad hoc demonstrandum in aciem produxit, examinatione postea patebit.

Cùm igitur nomen pro potestate usurpetur in S. litteris, quod nec ipse Carmelita negare audet, & exempla non pauca evincunt: imò quoties de Christo sermo est, dummodo ipsius Christi persona per Christi nomen non intelligatur, vix unquam aliud, quàm potestatem Christi per illud intelligi deprehendas: cùm Paulus Apostolus de donatione hujusmodi nominis apertè loquatur, quod omne genu cælestium, terrestrium, & inferorum ad Christum adorandum obliget: quæ obligatio non nudi alicujus nominis impositionem, sed divinæ potestatis & imperii super omnia participationem necessariò consequitur, quod & Christus ipse clarissimè expressit Ioh. 5. v. 22. 23. cùm deniq; celebritas ista nominis divini Christo concessa per universum orbem, quatenus actum ipsum, secundùm adversarios celebritatis denotat, non autem obligationem tantùm, quâ homines obstringuntur ad Christum adorandum, ut nos credimus, voluntatis humanæ, quæ libera est, consensum omnino requirat: donari autem, præsertim præmii cujusdam loco, id tantùm verè possit, quod merè in largientis arbitratu positum est, qualis est communicatio divinæ potestatis: veram divinitatem ex gratia Patris, nō verò per naturam, in Christo agnoscendam esse, ex sententia D. Pauli Apostoli, adeoq; totius S. scripturæ, concludendum est. Hinc verò apparet, quanta cum veritatis injuria Carmelita Opponenti silentium injunxerit, nec ad suam responsionē, tot erroribus refertam, quidquam proferre permiserit, nec regulas illas Carmelitanas, quibus sese excusare hac in parte voluit, esse tales, a quibus non liceat unquam discedere. Sed jam ad relationem coràm & publicè habitæ disputationis revertamur.

MINISTER. Quia non licet ampliùs urgere hoc testimonium Apostoli, proferam aliquid, si licebit per Illustres & Magnificos Dominos, adversus illam conclusionem thesium: *Ipsi authori omnis gratiæ Christo, ac cælorum reginæ clementissimæ, Carmeliticiq; ordinis parenti Mariæ, sit laus & gloria in æternum.* Ostendam ergo si libet, errari gravissimè, dum beata Virgo Maria Deo, in cultu ipsi debito conjungitur.

CARMELITA. *Non conceditur. Nam theses sunt oppugnandæ, non ista quæ ad ornatum extra theses sunt posita. Et nolumus vestras blasphemias in Beatam virginem audire.*

MINISTER. Possunt hoc ferre R. V. ut sententiam ipsorum de Christi divinitate, qualem ipsi contra scripturæ authoritatem tribuunt, impugnemus, quamvis hoc putent esse blasphemum. Cur igitur non patiuntur etiam sententiam suam de cultu Beatæ Virginis Mariæ a nobis impugnari?

CARMELITA. *Ergo pari modo impugnet id, quod paulò post additum est in fine assertionum, scil. Cracoviæ in officina Andr: Petricovii S. R. M. Typographi.*

MINISTER. Quod paulo pòst additum est, ad religionem nihil pertinet, sed disputatio de cultu B. Virginis Mariæ ad religionem plurimum facit.

Ad hoc nihil respondit Carmelita, sed sibi omnes applausisse, Hæreticum verò ab omnibus derisum esse, & eandem rationem horum duorum esse, clarè omnes dixisse gloriatur.

Vide igitur Christiane lector, ut alibi, ita hîc quoq; plausum a Carmel. quæsitum, non veritatem. Nam quis non videt, ad religionem prorsus spectare cultū illum Mariæ, illa verò, quæ adjecta sunt, de loco & typographo, nihil omnino ad religionē pertinere. considera etiam unde id fiat, quòd adversarii in hanc arenam nobiscum descendere renuant: quum alioquin de Christi divinitate nobis litem movere libenter soleant, ubi scil. nos invidiâ gravare, tanquam blasphemos in Christum, quique ei naturam divinam eripere velimus, facilè se posse sperant: se verò tanquam pio & ardenti zelo ipsius divinæ gloriæ flagrantes, qui eam eripi non sinant scilicet, speciosè commendare populo, jam pridem suæ Ecclesiæ mancipato, nullo negotio possunt. At ubi de idololatria Pontificiorum, quæ facilè cuivis in oculos incurrit, præsertim in Sacramento oblatæ, quam vocant, & cultu Virginis Mariæ, disputandi occasio sese offert, eam libenter fugiunt, nec quidquam iniquius ferunt, quàm cum hæc a nobis redarguuntur, adeò ut faciliùs laturi sint, si Trinitatis dogma oppugnemus, quàm si minima ex parte opinionem istam idololatricam impetere velimus. Considera præterea, quàm sincerè ab initio disputationis postulaverit Car-

rit Carmelita ab auditoribus,ut a riſu ſibi temperent,ne ludibriis hu-
juſmodi cauſam ſuam defendere velle videantur : cùm ipſe occaſio-
nem nos irridendi,& alios ad cachinnos provocandi quæſiverit. Ex-
pende deniq;,quod præcipuum eſt, quàm verum illud ſit,quod de ſe
prædicant Pontificii,Eccleſiam nimirum ſuam errare non poſſe,quæ
in re tanti momenti tam graviter & fœdè lapſa eſt. Quid enim obſe-
cro idololatria eſt,ſi hoc non eſt? Beatam Virginem Mariam cum au-
ctore omnis gratiæ in laude & gloria æterna ita conjungere,quemad-
modum ſacra ſcriptura Chriſtum unigenitum Dei filium cum Deo
patre conjungit? Vbinám quæſo præceptum ullum Dei extat de vir-
gine Maria hujus generis cultu colenda? Vbi ullum ejus divinæ pote-
ſtatis in nos veſtigium? ubi alicujus Apoſtoli, vel alterius cujuſpiam
Dei veri cultoris in S.litteris exemplum,qui Mariam vel adorârit,vel
invocârit?Vnde conſtat eam vivere? & ſi vivat, noſtras preces poſſe
audire?& ſi audiat,nobis poſſe aliqua in re opitulari?Quis,quæſo,ve-
ritatis,& divinæ gloriæ ſincerus amicus non exhorreſcat,& toto cor-
pore nõ contremiſcat,audita vel lecta illa precatione Carmelitæ,quã
huic diſputationi ad Virginem Mariam præmiſit. Hanc reginam cæli
clementiſſimam,cujus ſit ultimus & indignus famulus,appellat:hanc
ſolam cunctas hæreſes interemiſſe profitetur: hanc in auxilium vo-
cat. Hæccine eſt illa antiquiſſimæ veritatis Apoſtolicæ puritas? hæc-
cine ſanctiſſimæ Chriſtianæ fidei integritas? Quanto verò conveni-
entius foret,ad exemplum & imitationem S. ſcriptorum pro virgine
Maria,quam Carmel.cum authore omnis gratię,aut ex æquo,aut cer-
tè ſecundùm Deum cultum divinum ipſi tribuens, conjunxit,Chri-
Apoc.5.v.13. ſtum reponere?Sed,quod maximè dolendũ eſt,eò res jam devenit,ut
ii, qui ſedenti in throno,& Agno qui fuerat occiſus,gloriam & hono-
rem tribuunt, clariſſima ſacræ ſcripturæ exempla ſequuti, quemad-
modum nos facimus, idololatriæ ſine fronte accuſentur ab iis, qui nõ
tantùm præter,ſed planè adverſus S. Scripturæ auctoritatem, homi-
nes mortuos religioſi ac divini cultus genere afficiunt,qui varias reli-
gioſas cantiones, gratiarum actiones, preces, pſalmos iiſdem verbis
ad Beatam Chriſti matrem mortuam directos, quibus olim veri Dei
cultores Deum ipſum ſunt alloquuti, concipiunt, cereos in hono-
rem ejus aliorumq; Sanctorum mortuorum accendunt, coram eis
genua flectunt &c. Sed nos hujus rei judicium committimus ei, qui
juſtè judicat Chriſto. Is ſcrutatur corda,& renes noſtros; is novit,nos
non ex animo impio adverſus B. Matrem ſuam, ut nos odio hoſtili

perciti

perciti traducũt adversarii, sed ex amore gloriæ divinæ, & commiseratione interitus Christianæ gentis, in tam fædam idololatriam prolapsæ, talia vel dicere, vel scribere.

II. Argumentum, Contra opinionem de satisfactione Christi, adversus Thesin VI. quæ talis est:

Iustificatio impii non fit per extrinsecam imputationem meritorum Christi formaliter loquendo, sed meritoriè, formaliter autem fit per justitiam inhærentem, qua a Deo donati, renovantur justificati spiritu mentis suæ, & non modò reputantur, sed verè nominantur & sunt justi, justitiam in seipsis recipientes unusquisq; suam, juxta decreta Sacrosancti Concilii Tridentini.

MINISTER. Quæ thesis tollit gratuitam remissionem peccatorum, sacratissimo sanguine Christi sancitam & confirmatam, illa est adversa S. Scripturæ. Atqui hæc vestra thesis tollit gratuitam remissionem peccatorum, sacratissimo sanguine Christi sancitã & confirmatam. Ergo hæc thesis est adversa scripturæ.

CARMELITA. *Negatur Minor.*

MINISTER: Probo Minorem. Quæ thesis inducit sufficientem satisfactionem pro omnibus peccatis, præteritis, præsentibus & futuris, tollit gratuitam remissionem peccatorum, sacratissimo sanguine Christi sancitam & confirmatam. Atqui hæc thesis inducit satisfactionem pro omnibus peccatis, præteritis, præsentibus & futuris. Ergo hæc thesis tollit gratuitam remissionem peccatorum, sacratissimo sanguine Christi sancitam & confirmatam.

Hîc cum aliquid Carmelita videretur desiderare in illo termino, *remissionem Christi sanguine sancitam & confirmatam*, reposuit Opponens in illius locũ hæc verba, *remissionẽ propter quam Christus est mortuus*, quæ Carmelita, prudensné an imprudens, sed valde ineptè in sua relatione ita commemorat, ac si simul & semel utroq; modo loquendi usus fuisset Minister.

 CARME-

CARMELITA. *Distinguo in forma Majorem. Thesis quæ inducit satisfactionem sufficientem &c. tollit gratuitam remissionẽ peccatorum &c. Distinguo: Cum proportione loquendo, concedo: sine proportione, nego: id est, si ponit sufficientem satisfactionem ex parte nostra, concedo, quòd tollat gratuitam remissionem ex parte nostrâ: si autem solùm ex parte alterius ponit satisfactionem sufficientem, nego, quòd tollat gratuitam remissionem ex parte nostri. Sed hæc thesis ponit satisfactionem sufficientem pro omnibus peccatis &c. Distinguo: Ex parte alterius nempe Christi, concedo: ex parte nostrâ, nego. Ergo hæc thesis tollit gratuitam remissionem peccati, simpliciter & ex parte nostra, nego; cum hoc addito, ex parte Christi concedo.*

Meminit hoc loco Carmelita quorundam verborum Opponentis, quibus monuerat Carmelitam, ut potiùs ipse assumeret argumenta, quàm suum socium eorum crebra repetitione maceraret, qui vix unquam ea rectè assumere potuit, sæpiusq; in eorum repetitione hæsitavit, & correctus est a Carmelita, nedum ut ad ullum eorum quicquam responderit. Nam hac ratione & tempori, & pudori respondentis pepercisset, quem si malum appellasset opponens, quid, rogo, peccasset? cùm iste respondens nihil planè protulerit, quod ad defensionem thesium, vel responsionem ad argumenta contrariæ partis pertineret: ipse enim Carmelita semper ad omnia respondit. Quod autem gloriatur Carmelita, me contra discipulum suum disputasse, id, quamvis si verum esset, nihil veritati obesset, tamen in disputatione ab ipso dictum fuisse, planè nõ memini: & vereor, ne Carmelita insigni memoriæ lapsu hîc deliquerit. Nimis enim impudens fuisset hoc dicere, quod ipsius disputationis initium, medium, & finis manifestè refellisset. Verùm sit sanè, me cũ discipulo ipsius disputâsse; quid hinc commodi ad Carmelitam redibit, aut veritati decedet, si ad argumenta nostra confutanda, ne Carmelita quidem ipse quidquam solidi afferre potuit? Nolui autem ut de repente, semel audito nostro argumento, defendens illud repeteret, sed ut ipse Carmelita, qui seipsum præsidem constituerat, assumeret, & responderet: quemadmodum fecerunt alii, Carmelitâ non inferiores. Quod verò dicit, Opponentem ex charta legisse argumenta, id nec ita se prorsus habet, nec si haberet, aliquid propterea vel veritati vel respondenti decederet.

MINISTER. Contrariorum uno posito, alterum tollatur necesse est. Atqui satisfactio pro peccatis sufficientissima a quocunq; tandem profecta, & eorundem pec-

catorum remissio, sunt contraria. Ergo illâ positâ, hanc tolli necesse est.

CARMELITA. *Probetur Minor.*

MINISTER. Quæ habent proprietates contrarias, ea sunt contraria. At satisfactio pro peccatis a quocunq; tandem profecta, habet proprietates contrarias remissioni peccatorũ. Ergo satisfactio remissioni est contraria.

CARMELITA. *Nego Minorem.*

MINISTER. In gratuita remissione non exigitur, sed condonatur debitum: in satisfactione, a quocunq; fiat, non condonatur, sed exigitur. Ergo satisfactio, sive a debitore fiat, sive ab alio vice debitoris, & remissio peccatorum contrarias habent proprietates.

CARMELITA. *Iterum distinguo. In gratuita remißione, non exigitur ab eo cui condonatur, ab alio, nego. Gratuita remißio est ex parte nostri, quia nos nihil promeriti sumus, non ex parte Christi, quia Christus promeritus est. Verbi gratia, laborat Pater, servit Regi multo tempore, est bene meritus de Rep. vult illi Rex merita retribuere: at ille rogat, ut id, quod ipse meretur, det Rex filio suo. Certè hæc remuneratio respectu filii gratis fit, quia nihil promeritus est: at respectu Patris non fit gratis. Eodem modo Pater noster Christus, laboribus multis acquisivit gratiam justificationis, & remißionem peccatorum, quam tamen nos gratis accipimus utpote sine meritis nostris; gratis ergo justificamur absolutè loquendo; ut pote sine meritis nostris; licet respectu Christi hæc nostra justificatio non sit gratuita, sed promerita.*

ILLUSTRISSIMUS D. PALATINUS POSNANIENSIS: Oppositio respectu ejusdem subjecti esse debet. Habemus hujus rei exemplum præ manibus. In Comitiis generalibus præteritis, quidam nobiles obtinuerunt quasdam contributiones a Rep. pro redemptione uxorum ac filiorum: mittetur pecunia. Redimentur illi, gratis quidem respectu ipsorum, quia ipsi nihil dabunt, at respectu Reip. quæ dabit pecuniam, certè non gratis.

CARMELITA. *Videtis quo tendat sententia Racoviensium Arrianorum. Negant illi Christum satisfecisse pro peccatis nostris &c.*

MINISTER. Non negamus Christum in omnibus, quæ ipsi a Deo imposita fuerant ad tollenda peccata nostra, cumulatissimè satisfecisse divinæ voluntati: sed illam sa-

lam satisfactionem impugnamus, quæ gloriam Deo debitam pro gratuita remissione, seu, ut alibi loquitur scriptura, condonatione peccatorum nostrorum, tollit.

CARMELITA. *Non potest probari remissionem gratuitam simpliciter tolli, sed ex parte tantùm, si alius pro nobis solverit: nos enim nihil dedimus. Ergo nobis remissum est debitum.*

MINISTER. Si R^æ. T. aliquis debeat certam pecuniæ summam, & alius sit qui pro illo solvat debitum, num gloriari poterit, se ipsi remisisse, aut condonasse illud debitum? *Hoc simile omisit Carmelita in sua relatione, quia nihil habuit, quod ad illud responderet.* Sed ut clariùs appareat veritas, respondeat rogo R. T. in forma & directè ad hoc argumentum: Qui nihil debet, ei nihil condonari potest. Atqui is, pro quo alius quispiam solvit, nihil debet. Ergo ei, pro quo alius quispiam solvit, nihil condonari potest.

CARMELITA. *Distinguo. Qui nihil debet, ei nihil condonari potest, posteaquam nihil debet, concedo, sed antea, nego. At pro quo alius solvit is nihil debet; postquam solvit alius: antea, vel tunc dum solvit, nego.*

Hîc cum urgere vellet Opponens Carmelitam, nulla ratione ullum verbum pronunciare Opponentem passus est. Quod honesta oratione ad eum modum excusat: Auditores vidētes evidentiam solutionis, noluisse ut disputatio ulteriùs procederet: cùm tamen ipse non dicam solus, sed certè primus & præcipuus fuerit, qui silentium nobis planè injunxerit. Quod si auditores, ut ait Carmelita, disputationis pertæsi audire ampliùs disputationem nolebant, quî factum est, ut postmodum Carmelitam tam prolixè concionantem patienter audirent? An non satius erat disputatione, cui tum fuit dictum tempus, occupare auditores, quàm concione, cui tū tempus assignatum non fuit? Tu interim, erudite lector, expende quæso diligenter, an non argumentum nostrum necessariò evincat, gratuitam remissionem peccatorum nostrorum, cum satisfactione plenissima, a quocunq; tandem fuerit profecta, dummodo pro nobis præstita sit, consistere non posse: *Qui nihil debet, ei nihil condonari potest:* posteaquā nihil debet, addit Carmelita. Sed nec quicquam ad rem, nec planè in forma respondetur ab adversario. Vt enim nostrum argumentum id evincat quod concludit, nihil necesse est ei, qui nihil debet, aliquid

remitti

remitti sive condonari potuisse, priusquam a debito liberaretur, cùm ne hoc quidem in majori necessariò supponendum sit, quòd aliquando quidpiam debuerit: sed satis est simpliciter & universaliter verissimum esse, remissionem gratuitam ibi nullum locum habere, ubi nullum planè est debitum, sive aliquando fuerit, sive minùs. Quorsum igitur illud: *Postquam nihil debet?* An ego dixi, vel dicere necesse habui, etiam tunc cum debuit, nihil debitori remitti potuisse? Quis ita cæcus est, qui hac additione superflua non apposita per se non videat, propositionem istam, *Qui nihil debet, ei nihil condonari potest*, ita intelligi ut verba sonant, nec aliud significare posse, etiamsi non addatur id, quod adjicitur? Porrò quod ad Minorem attinet, ea ita est clara & perspicua, ut eam distinguere, sit potiùs tenebras imperitorum oculis offundere, quàm ei lucem fœnerari. Quid enim evidentius est, quàm eum nihil debere, pro quo alius quispiam solvit debitũ, & ita creditori satisfecit? Æquipollet enim hæc negans affirmanti: Cujus debitum alius quispiam persolvit, is ab illo debito planè liberatus est. Quid igitur vult Carmelita, cùm addit: *Postquam solvit, concedo: sed antea, vel tunc dum solvit, nego?* Tales sanè distinctiones tunc adhiberi solent, cum verba alicujus enunciationis in diversum sensum capi possunt, ita ut ambiguitate vocabuli vel phraseos imponere velle videatur Opponens: verùm hîc nihil planè erat periculi, ubi opponens mentem suam exposuit, de qua alioquin unicuiq; optimè constabat. De satisfactione enim jam a Christo loco nostri, ut adversariis videtur, præstita quærebatur, non tanquam quæ adhuc re ipsa fiat, sed quæ jampridem peracta sit, propter quam peccata remissa & condonata esse, affirmant adversarii. Argumentum igitur Opponentis demonstrat, satisfactione Christi admissa eo sensu, qui placet adversariis, tolli remissionem sive condonationem peccatorum nostrorum, quæ Deo accepta ferri debuerat. Ratio est, quia ubi creditori sufficientissimè debitoris loco satisfactum est, ibi debitum sublatum est. Quid igitur est, quod remittatur aut condonetur ex debito, jam ad extremum usque teruncium persoluto? Verùm hoc argumentum Carmelita non ea, qua par erat, fide retulit. Sic enim opponentem argumentantem introducit: *Qui satisfacit quocunq; tandem modo, vel per quamcumq; personam, non debet; at cui gratis donatur, habet revera debitum, solùm quòd est condonatum: Ergo satisfactio a quocunq; tandem proveniat, opponitur liberæ condonationi.* Cujus rei argumentum esse possunt Opponenti affictæ phrases, quæ ab ejus di-

ejus dictione multùm absunt. Etenim illis, quas superiùs illi affinxerat: *Ostendam, sicut modò est lux. Nomen stat pro divinitate. Probo repugnare, quòd Christus satisfecerit, & nobis gratis remittatur. Remittere, est sine eo quòd aliquid detur &c.* sunt hæ quoq;, quas hîc illi adscripsit, persimiles: *Habet revera debitum, solùm quòd est condonatũ.* Forma verò argumenti adeo perturbata, & vix tolerabilis, quî quæso in disputatione a Carmelita tam rigidè jus suum persequente admissa fuisset? Equidem non dubitaverim, omnium eorum, qui judicio aliquo hac in parte valent, memoriam appellare, eosq; in testimoniũ vocare, satis diligentem legum syllogisticarum rationem a nobis esse habitam, ne adversarius de nobis ullã conquerendi occasionem haberet. Porrò cùm sententiâ de satisfactione Christi jam re ipsa peracta, non verò quæ adhuc peragatur vel peragenda sit, tolli remissionem peccatorum gratuitam, opponens evincere conatus sit, pro voce *satisfecit*, vel *solvit* in præterito usurpata, vocem *satisfacit* in præsenti supposuit Carmelita, quò suæ illi ineptæ distinctioni locum aliquem inveniret. Sed videamus responsionem Carmelitæ ad argumentum ab ipso formatum. Propositio est: *Qui satisfacit, non debet.* Distinguo inquit adversarius: postquam satisfecit, concedo; antea, vel tunc dum satisfacit, nego. Rectè est. Sufficit nobis quod conceditur; quod negatur, id nec opus est concedi, nec postulamus. Est igitur eo sensu Major vera, si vox satisfaciendi, de solutione vel satisfactione jam præstita loquatur, quemadmodum nos loquimur. Assumptio est: *Sed cui gratis donatur, habet debitum, solùm quòd est condonatum.* Distingvo, ait Carmelita. Tunc dum gratis remittitur illi, vel antea, concedo. Postquam dimissum est illi, Nego. Accipio conditionem. Quamvis fortasse si scrupulosiùs rem examines, non nihil in negatione desiderare possis. *Ergo revera sunt opposita, a quocunq; tandem proveniant.* Nego, inquit, consequentiam. Nam potiùs in hoc omnino conveniunt. Hîc primùm vide tergiversantis Carmelitæ inconstantiam; cur enim refingit conclusionem, antea pro suo libitu confictam? cur iisdem verbis non utitur, aut certè æquivalentibus? cur ambiguitatem sectatur? Deinde, in quonám conveniunt satisfactio & remissio? Cur subticet? Satisfactionem & remissionem sive condonationem debiti certo respectu convenire, nemo unquã negavit. Nam & contraria in aliqua re convenire, nihil vetat. Sed eo respectu, quo a nobis considerantur hoc loco, non convenire docuimus. Conveniunt in eo, quòd tam satisfactione, quàm remissione

debitum

debitum tollitur: atverò secum minimè conveniunt, quatenus unâ positâ, tollitur altera. Nam ubi est plenissimè satisfactum, ibi remitti vel condonari debitum, interventu satisfactionis extinctum, nullo modo potest. Rursus ubi debitum est planè remissum & condonatum, ibi pro eo satisfieri sive ab ipso debitore, sive ab alio quopiam, prorsus non est necessarium. Evanuit enim ac penitus sublatum est per condonationem. Posita satisfactione tolli remissionem & condonationem, nobis potissimùm probandum sumpseramus, habita ratione sententiæ adversariorum, qui propter satisfactionem Christi peccata nobis remissa esse asserunt. Posita verò remissione tolli satisfactionem, retento argumento, cujus materia nostra quidem est, sed formâ Carmelitanâ vestita, necessariò efficitur. Nam si paulò accuratiùs & planiùs ambiguitate sublata formetur, tale erit:

Qui satisfecit sive per se, sive per alium, is a debito liber est.
At cui debitũ condonari potest, is a debito nondum liber est. Ergo
Cui debitum condonari potest, is neq; per se, neq; per alium, satisfecit.

Cujus argumenti præmissas si eo ordine proponas, ut Majorem in locum Minoris substituas, habebis argumentum illi nostro non absimile:

Cui debitum condonari potest, is ab eo nondum liber est.
Qui satisfecit sive per se, sive per alium, is a debito jam liber est,
Ergo qui satisfecit sive per se, sive per alium, ei debitum condonari non potest.

Verùm Carmelita, non tantùm argumentum nostrum in aliam formam convertit, verùm ne suæ quidem formæ, ut par erat, rationem habuit. Nam loco conclusionis, quæ hujusmodi esse debebat: *Cui debitum condonari potest, is neq; per se, neque per alium satisfecit.* primùm talem format: *Ergo satisfactio a quocunq; tandem proveniat, opponitur liberæ condonationi.* Vbi vestigium quidem apparet aliquod diligenti lectori, nostram argumentandi formam immutatam esse; (nam quemadmodum in illa, ita & in hac Carmelitæ, Satisfactio subjecti, atq; minoris termini, Remissio sive condonatio prædicati, hoc est, majoris termini locum tenet: cùm tamen vi formæ Carmelitanæ, inverso ordine recitanda fuerit) sed simul etiam certum est, hoc modo concludendi affectari quidpiã, quo aditum sibi parat Carmelita ad declinandam directam responsionem, quam vix declinare potuisset, quemadmodum postea facit, si conclusionem ex præmissis dire-

directè intuliſſet. Deinde verò cum reſponſionem ſuam formæ argumenti a ſe ipſo excogitatæ accommodat, non contentus concluſione minùs ambigua, ut habeat quod reſpondeat, iterum eam format ad hunc modum: *Ergo revera ſunt oppoſita, a quocunq; tandem proveniăt.* Vt enim nihil aliud hîc deſiderari poſſit, quàm quòd loco illorum verborum ſingularis numeri, utitur plurali, cum dicit, *ſunt oppoſita*, &c, a quocunq; *proveniant*, quis non videt fraudem ſubeſſe? Nam cum ſingulari numero utitur, verbum *proveniendi*, non ad remiſſionem, ſed ad ſatisfactionem refertur. cùm in plurali loquitur, ad utramq; pertinere cenſetur. At non perinde apparet, ſatisfactionem & remiſſionem ſe invicem tollere, ſi in neutra reſpectus habeatur, a quo proveniat, quàm ſi habeatur. Nam ſi dicas Chriſtum condonaſſe nobis delicta, quatenus ipſius perſonam propriè reſpiciebant; & tamen pro iiſdem Patri ſuo ſatisfeciſſe, quatenus in Patris ipſius offenſam redundarunt, non ita apparet, quomodo poſita ſatisfactione tollatur remiſſio, vel contrà, niſi ſupponas Chriſtum eundem eſſe Deum qui Pater eſt: quod ſtatim ſe ipſum falſitatis coarguit, eamq́; clariſſimè prodit, quia ſibi ipſi ſatisfacere propriè nemo poteſt. At ſi dicas, ſatisfactum eſſe a Chriſto Deo Patri, qui loco noſtri ad extremum uſq; teruncium, ſuum debitum a Chriſto recepit, & mox adjicias, propterea quia integrum debitum noſtrum a Chriſto recepit, remiſiſſe & condonaſſe nobis illud ipſum debitum, vide quàm manifeſtam hæc tua ſententia involvat contradictionem. Taceo, quòd nec in præmiſſis, præſertim minore propoſitione repetita, ſibi ipſi ſatis conſtet Carmelita. Nam ut demus, ipſum verba illa Majoris, *quocunq; tandem modo, vel per quamcunq; tandem perſonam*, omittere ſine dolo potuiſſe: at verò in aſſumptione cur præterit, quod antea adjecerat, quodq́; diſtinctioni illi non neceſſariæ viam præcluſiſſe videtur, *ſolùm quòd eſt condonatum*. Cui bono enim illud: *Poſtquam dimiſſum eſt, nego:* cùm ſecundum relationem Carmelitæ non obſcurè idem neget Opponens? Sed objiciet aliquis pertinax hujus erroris de quo jam diſputamus, defenſor: Ex iis, quæ de poſtremo Syllogiſmo diſſeruimus, tantùm conſtare, quòd remiſſio ſatisfactionem Chriſti nec antecedere nec ſubſequi potuerit in negotio ſalutis noſtræ: interim tamen dubium manere, an eodem tempore utraq; facta non fuerit. Hanc objectionem non multùm adverſariis favere vel hinc patet, quòd plus nos præſtitiſſe concedat, quàm revera debuimus. Nam ad commentitiam iſtam ſatisfactionem confutandam, ſufficere videtur, ſi

tur, si propter ipsam nobis peccata non esse remissa, & sic eam mini-
mè antecessisse ostendatur. Nos verò ex abundanti etiam subsequu-
tam non esse, imò subsequi non potuisse, docuimus. Quod autem si-
mul non sint peracta, ipsa responsio Carmelitæ indicio est. Nam si sa-
tisfactio & remissio omnino conveniunt in eo, quòd sive hac, sive
illa sola interveniente tollatur debitum, & ita peccata nostra; super-
vacaneum planè erat, non tantùm diverso, sed etiam eodem tempo-
re utramq; fieri. Nec quidquam revera afferri potest, quod sacris li-
teris, & ipsi sanæ rationi congruum sit, quidquid nonnulli commini-
scantur, ex quo utilitas satisfactionis istius, quam urgent Adversarii,
appareat: nisi fortè ut divina potentia, misericordia, justitia, veritas,
& sapientia blasphemè in dubium vocetur. Nam si dicas, absq; vera
satisfactione accepta non potuisse nobis Deum remittere peccata,
Deo minus quàm hominibus potestatis concedis. Quis enim homi-
nũ est, qui injurias sibi illatas, vel etiam debitum, quod sibi debetur,
condonare nequeat, nulla satisfactione a quoquam accepta? Si verò
dicas potuisse quidem, sed tamen noluisse, ubi illa toties decantata in
sacris litteris erga humanum genus clementia, & liberalissima beni-
gnitas? ubi justitia, quæ insontem cum sonte, ne dum pro sonte puni- Ezech.18.v.4,20.
re vetat? ubi veritas, quæ animam peccantem ipsam morituram, fili-
um pro patre (qui tamen conjunctiores sunt, quàm humana Christi
natura nostræ) non luiturum pænas, clarissimè testatur? ubi sapientia,
quę, quod minori compendio, majori cum divini nominis gloria fie-
ri potest, ut magno dispendio, non sine divini nominis ignominia fi-
at, omnino dissuadet? Ut jam nihil de eo dicam, quòd ea conari, quæ
ex ipsarum rerum natura nullo pacto fieri possunt, qualis est Christi
satisfactio, a sapientia longissimè absit. Nam corporales pænas unum
pro altero pendere, & unica morte, ad brevissimum temporis spaci-
um durante, infinitorum hominum, qui singuli mortem æternam su-
bituri erant, pænas persolvere, etiam eum, qui naturæ divinæ impati-
bili humanam copulârit, planè impossibile esse, ipsa res loquitur, &
alibi a nostris uberrimè demonstratum est. Ex quibus omnibus, satis-
factionem pro peccatis nostris Dei justiciæ prę̄stitam non esse, mani-
festè constat. Quanquam illud solum, quòd proprietates remissionis
& satisfactionis sibi invicem planè adversentur, per se sufficientissi-
mum est ad hoc ipsum evincendum. Nam si in satisfactione nõ con-
donatur, sed exigitur, in remissione non exigitur, sed condonatur de-
bitum; faciliùs cælum terræ misceas, quàm satisfactionem pro debi-
to, cum

to, cum remissione ejusdem debiti concilies, sive eas simul peragi velis, sive minùs. Distinctionem autem illam Carmelitæ, non exigi debitum ab eo cui condonatur, sed posse exigi ab alio, exempla, quibus eam eleganter illustratam putat, manifestè refellunt. Quod ostendere cùm in publica disputatione prohibiti fuerimus, non abs re fuerit, hoc loco id omnium examini subjicere. Primum exemplum est tale, in quo, loco patris laborantis, & longo tempore regi servientis, deq; Rep. optimè meriti, filio datur a Rege, quod meritis paternis debebatur. Hîc dicit Carmelita, remunerationem respectu filii gratis fieri, respectu patris, non item. Sed cur respectum illum accuratè non explicas? Quid vis tibi per illa verba: Respectu filii fit gratis remuneratio? Num solius filii, qui remunerationis fit particeps, hîc rationem haberi vis? Non opinor. Nam remuneratio & gratia, sive adverbium *Gratis*, sunt voces relativæ. Oportet igitur ut filius accipiens habeat suum correlatum. Hoc verò est, non tantùm Rex qui dat, sed etiam pater, cujus nomine & ob cujus merita dat. Si regem spectes, is non dat ex gratia, sed ex debito. Compensare enim merita omnino tenetur. Nec refert quòd det filio, si pater ita velit. Perinde enim est, atq; si debitor jussu creditoris, debitum restituat ei, cui jus suum resignavit creditor. Nec quidquam juvat adversarium, quòd filius nihil sit promeritus. Satis enim est, quòd promeritus sit pater, qui jure suo filio cessit. Quod si filium accipientem non jam cum ipso rege dante, sed cum patre, qui jus meritis suis acquisitum filio donavit, conferas, gratis hanc remunerationem fieri respectu filii concedi potest. Sed quicquid hîc est gratuitum, id non regiæ liberalitati, verùm patris benignæ in prolem suam charitati ac meritis adscribendum est. Quòd si plus det filio Rex, quàm pater est meritus, id per accidens planè est, nec quicquam ad rem nostram facit. Atque ita non eo sensu, qui tuæ opinioni favere videbatur, sed eo, qui ipsi adversatur, affirmari potest, respectu filii gratis fieri remunerationem. Porrò cum dicis, respectu Patris non fieri gratis remunerationem, ancipiti sensu loqueris. Nam respectus Patris hîc potest esse non uniusmodi, sed potissimùm triplex. 1. Quatenus pater vult id dari filio, quod ipse meritus est, suoq; jure ipsi cedit. 2. Quatenus pater istius remunerationis quodammodo fit particeps. Licet enim filius accipiat, remuneratio tamen ad patrem propriè & formaliter spectat. Nec enim filium revera Rex remuneratur, sed patrem, licèt id det filio, quod patri debebatur, & ita materialiter tantùm, ut loquuntur, eum remunerari dici

rari dici potest. 3. Quatenus pater meritis suis id obtinuit, ut filius a rege aliquid accipiat. Vnde hujus loquutionis triplex emergit sensus, quòd remuneratio respectu patris non fiat gratis. Primùm enim hęc verba ita accipi possunt, q.d. quòd filius a Rege quidpiam accipiat, nō esse acceptū ferendum gratię Patris. Fieri enim gratis tam respectu ejus a quo fit, quàm respectu ejus cui fit, dici potest. 2. Quatenus Rex patrem remuneratur, id gratiæ remunerantis imputari non potest. 3. Quatenus Rex dat aliquid filio propter merita patris, nullam præstat gratiam filio. Ex quibus primum tanquam absurdum rejiciendum est: posteriora verò duo, etsi admitti possunt, adversarii tamen causam nihil juvant; imò postremum eam etiam pessumdat, & ei, quod suprà asseruerat, manifestè adversatur. Nam respectus ipse meritorum patris, ut antea ostendimus, pugnam non tollit: & quod attinet remunerantis officium, perinde censendum est, atq; si filius remunerationem istam promeritus fuisset, cùm pater suum jus filio donaverit. Cavendum tamen est, præter alias ambiguitates, quæ in hac similitudine alicui incauto negotium facessere possunt, quas omnes enumerare nimis longum esset, ne quis vocem Remunerationis aliter accipiat, quàm comparationis ratio patitur, nempe pro præmio, quod sua amplitudine non superet laborem. Nam nos de ea remuneratione loquimur, & Carmelitam, si utcunq; ad rem loquutus videri velit, loqui necesse est, cui merita sint æquivalentia. Hactenus protasis similitudinis; videamus apodosin, in qua plurimas Carmelitæ captiones deprehendere licet. Nam primùm pro satisfactione Christi sufficientissima, *multos labores* supponit: quasi verò, qui Christum Pontificia ratione satisfecisse negant pro peccatis, multos eum labores, quos scriptura recenset, nostræ salutis causâ sustinuisse, etiam inficientur, aut inficiari opus habeant. 2. Acquisivisse Christum dicit gratiam justificationis & remissionis peccatorum, cùm hæc fuerit apud Deum, sponte sua nobis propitium, jam parata: nec eam propriè ab aliquo acquiri, sed tantùm revelari, credi, atq; viam ad eam consequendū præscriptā nos insistere necesse fuerit. 3. Gratis nos dicit accipere justificationem & remissionem peccatorum: sed ex cujus liberalitate & gratia, silentio involvit, ne scilicet suum errorem prodat. 4. Pro remissione peccatorum, cum qua antea justificationem conjunxerat, paulo pòst substituit solam vocem Iustificandi. Subdolè sanè. Nam etsi hæc rectè intellecta idem significat, tamen nec omnibus hoc æquè notum est, & vox Iustificationis per se nihil tale prę se fert,

quod

quod satisfactioni adversetur, quemadmodum Remissio peccatorũ. 5. Parum circumspectè subjungit, nos gratis justificari absolutè loquendo, cùm non tantùm secundùm ipsam rei veritatem, posita satisfactione, gratuita peccatorum remissio absolutè tollatur, sed etiam secundùm ipsius Carmelitæ distinctionem, secundùm quid tantùm verum sit, nobis gratis peccata remitti. 6. Apertè fatetur, merita Christi cum gratia respectu ipsius Christi consistere non posse. Quomodo igitur merita sua, & opera supererogationis, meritis Christi adjuncta, cum gratia divina conciliabit? 7. Non desinit ludere æquivocatione, cum ait, nos gratis justificari, id est, peccatorum remissionem consequi, respectu nostri: at respectu Christi non esse gratuitam justificationem. Non enim hîc simpliciter quæritur, an gratis justificemur respectu nostri, sed an is, cui est plenissimè pro peccatis nostris satisfactum, nos gratis justificet. Nam *Gratis fieri*, non solùm eum, in quem liberalitas alterius redundat, & cujus interventu gratia in ipsum derivatur, sed vel inprimis eum, a quo illa proficiscitur, tanquam causa principali, respicit, & hoc loco id potissimùm considerandum est. Sive enim gratuitò, sive non, peccata nobis remittantur, quoad nostræ salutis effectum nihil interest, dummodo certum sit, ea remitti. At verò, si vel apertè, quod neminem fecisse crediderim, vel obliquè, quod facit Carmelita, non Christi tantùm, sed etiam sua merita prædicans, divina gratia & liberalitas in remittendis peccatis nostris excludatur; multum divini nominis gloriæ decedere, facilè intelligi potest. Sed ut manifestiùs veritas appareat, exemplum, quo illius adversarius nobis insidiatus est, in ipsum retorqueamus. Quemadmodum igitur nulla in eo liberalitas vel gratia Regis apparet, si tantum, quantum pater multis laboribus, longo temporis & annorum tractu exantlatis, promeritꝰ est, veluti .1000. fl., det filio, cui pater suo jure planè cessit, multo verò minùs, si constet, patrem nõ sui proprii commodi, sed filio suo aliquid promerendi causâ, apud regem tamdiu meruisse: quemadmodum, inquam, apertissimum est, nec filium quidquam gratis a rege accipere, nec regem gratis dare, sed si quid hîc est gratuitum, id respectu patris suo jure filio cedentis est tale: ita si Christus pro omnibus peccatis totius humani generis, præsentibus, præteritis, & futuris satisfecit, & multis laboribus, infinitis doloribus, ipsaq; adeo morte truculenta, meritorio jure acquisivit nostram justificationem, nulla gratia, nulla liberalitas, nulla clementia divina in remissione peccatorum nostrorum apparet: nihil hîc nobis

a Deo

a Deo donatum, nihil a nobis respectu ipsius Dei gratis obtentum: sed si gratuita remissio peccatorum nostrorum appellari debeat, id respectu Christi, non respectu Dei, cui est a Christo pro nobis plenissimè satisfactum, admitti potest. At quia posterius in Deum injurium est: ergo & prius, ex quo id illatum est, nempè Christum divinæ justitiæ pro peccatis satisfecisse. Contrà verò: Si Rex munificus velit liberalitatem principe dignam in eum exercere, cujus pater præclarè de ipso deque Rep. est meritus, non tantùm patri compensat abundè merita, imò ultra & supra merita ipsum magnificentissimè remuneratur; sed etiam filium, quamvis nihil tale promeritum, dummodo nolit esse ingratus, & pro modulo suarum virium paratus sit ad omnia officia Regi præstanda, divitiis auget, opibus locupletat, & ad dignitatis alicujus gradum sublimem extollit: Ita potentissimus ille totius terrarum orbis Monarcha, cum vellet humano generi divitias gratiæ & misericordiæ suæ ac φιλανθρωπίας testificari, non tantùm principē salutis nostræ propter obedientiam usq; ad mortem crucis superexaltavit, & patri illi nostro, a quo non secùs virtute propagationis spiritualis per fidem, vita spiritualis & æterna in nos derivatur, atq; terrena & temporaria ex Adamo, donavit nomen supra omne nomen, & ad dexteram throni sui collocavit, longè sublimiùs omni potestate & virtute; sed etiam omnes, qui spiritualis istius propagationis ex Christo verè sunt participes, quamvis a Christi perfecta & omnibus numeris absoluta obedientia non parum distent, dummodo tantā divinā munificentiā grato animo amplecti, Deoq; confidere, ac pro viribus obediendo Christū imitari velint, nō tantùm ex pura puta clementia sua, nō verò ob merita Christi vel nostra propriè sic dicta, quamvis non sine Christi & nostro labore, ab omni peccatorum reatu atq; pœna liberare dignatus est, sed etiam ad cælestis regni opes, & divinæ suæ gloriæ hæreditatem vocavit. Christus verò Iesus pretiosissimum & sacratissimum suum sanguinem jussu Dei patris sui, & ardentissimo salutis nostræ studio incensus, sponte profudit, & plurimos labores, molestias ac dolores sustinuit, non ut Deo irato, & implacabili ipsius justitiæ satisfaceret, aut justificationem & remissionem peccatorum nobis promereretur & acquireret: (hæc enim omnia jam antè apud Deum erant parata) sed ut Deum nobis sponte placatum esse persuaderet; ut viam salutis exemplo suo fidelibus præmonstraret, & ad eam insistendam eos quodammodo invitaret; ut nos ad Deum clementissimum erga nos, & ad seipsum nostræ sa-

lutis sitientissimum redamandum, hoc est, peccatis moriendum, justitiæ verò vivendum (in hoc enim Dei Christiq; amor consistit) excitaret, ut nos tantæ divinæ munificentiæ fructum sentire possemus; ut potestatem super omnia cum clavibus mortis & inferni consequeretur, & misericors noster pontifex effectus, nos hac ipsa potestate, ab omnibus peccatorum pænis, præsertim verò ab ipsa æterna morte, liberaret, & in vitæ immortalis ac cælestis beatitatis, quâ vera & completa peccatorum remissio continetur, possessionem assereret. Quæ omnia in sacris litteris adeò luculenter continenrur, ut vix quisquam vel inimicissimus sententiæ nostræ, si modò rectè intelligantur, non necessariò sit ea admissurus. Hîc vides remissionem peccatorum planè gratuitam esse, primùm ex parte Dei, qui solâ clementiâ suâ, nec cujusquam merito impulsus, nobis peccata condonavit: deinde ex parte Christi, qui, ut nos hujus remissionis fructum sentire possemus, tot tantaq; sponte fecit & passus est, desiderio salutis nostræ inflammatus, qui etiam olim ex pura sua misericordia coronam justitiæ nobis largiturus est: deniq; ex parte nostri, qui nihil unquam tale promeriti sumus, quin potiùs iram divinam nostris peccatis in nos provocaveramus. Contrà verò, si opinio adversariorum vera sit, neq; ex parte Dei, qui non priùs debitorum nostrorum oblitus est, quàm ei plenissimè esset satisfactum; neq; ex parte Christi simpliciter, cùm illius etiam justitiæ, quatenus idem est cum Patre, plenissimè satisfactum sit; neq; ex parte nostri, pro quibus est satisfactum, gratuita est remissio peccatorum nostrorum. Adde his omnibus, quòd opinio adversariorum, non veritati solùm, sed etiam pietati est inimica, & si quis vim ejus accuratiùs expendat, omne studium Christianæ virtutis & conatum Deo obediendi (quicquid alioquin bona opera ab ejus assertoribus urgeantur) extinguit, & vi sua perimit. Nam credere Christum pro omnibus peccatis, sive olim sint commissa, sive jam committantur, sive aliquando sint committenda, (ad quæ etiam impænitentiam, & blasphemiam in Spiritum sanctũ, cum peccato ad mortem, referri necesse est, idq; fortasse potissimùm) sufficientissimè satisfecisse, & interim persuasum habere, quòd tibi nihilominus sit ab omnibus peccatis necessariò abstinendum, & sanctè ac inculpatè vivendum, perinde congruunt, atq; si credas, debitum tuum creditori jam plenè solutum esse, sed interim omnino necesse esse, ut tu idem persolvas. At verò credere Christum ideò obedivisse, & ignominiosissimum mortis genus perpessum esse, ne & nos, ipsum imitati

imitati, vel teterrima morte ab obedientia Deo debita deterreamur, sed fiduciâ in ipso collocatâ, intuentes ducem & consummatorem fidei nostræ, & videntes quò interventu suæ obedientiæ & mortis pervenerit, remissionem peccatorum nostrorum, hoc est, immunitatem a morte æterna & immortalitatem, cujus promissionem sanguine suo sanxit, imò potestatem eam donandi acquisivit, certò nobis polliceamur, & ita sub spe eorum quæ promisit, ea faciamus quæ præcepit: hoc, inquam, quanto sit ad pietatis studium adjumento, nemo non clarissimè perspicit. Fonte erroris reserato, hoc est, fallaciâ, quæ in Carmelitana distinctione latebat, satis, ut videtur, apertè detectâ, & similitudine ipsius, quæ speciem blandientem errori Pontificio, primo obtutu præsferre videbatur, minùs laborandum est, ut vitium alterius exempli, ad eandem distinctionem illustrandam producti, ostendamus, quod quanto ad rem, de qua agitur, propiùs accedit, (remissio enim peccatorum per se considerata, dimissioni captivorum meliùs respondet, quàm retributioni meritorum, cùm merita in meliorem partem accepta peccatis planè adversentur; satisfactio Redemptioni, Christus Reipublicæ, sanguis Christi pecuniæ contributæ, detinentibus captivos, qui hîc creditorum locum obtinent, Deus, ipsorum hostium in detinendis captivis rigori, justitia illa implacabilis in Deo, qualem contra sacras literas adversarii fingũt, carceri peccatum & mors, ministro carceris Diabolus, captivis peccatores respondent) tanto facilius est id in Carmelitam retorquere. Nec enim temerè omissa est apodosis, quam nobis adjicere licebit. Quemadmodum igitur in redemptione captivorum, posteaquam pecunia illa ex liberalitate Reipub. in comitiis regni contributa, iis, in quorum potestate sunt captivi, numerata, atque ita ipsis sufficientissimè satisfactum fuerit, quamvis ipsi captivi, qui hîc sunt debitoris instar, propriè nihil de suo dent, nemo tamen dixerit, eos gratis esse dimissos, id est, ex eorum gratia, quibus pecunia persoluta est: (jam enim pecunia illa juris captivorum est effecta, postquam ipsorum causâ est collecta, & respectu eorum, quibus pro captivis numerata est, perinde est ac si ab ipsis captivis acciperetur) ita in negotio salutis nostræ, si justitiæ divinæ cumulatissimè pro nobis est satisfactum, quãvis nos ipsi nihil tale promeriti simus, peccata tamen nobis gratis remissa esse a Deo, qui integrum nostrum debitum a Christo loco nostri receperit, nullo modo dici potest. Quod enim Christus fecit & passus est, id respectu Dei creditoris perinde se habet, atque si a nobis ipsis re-

ipsis recepisset. Si verò gratiam alicujus hîc spectare velimus, hæc soli Christo, quemadmodum Reip. liberalitati captivorum liberatio, accepta ferenda est. Quemadmodum autem liberum est iis, in quorū potestate sunt captivi, nullâ a quoquā pro ipsis pecuniâ acceptâ eos, si velint, dimittere; quòd si nolint, id ipsorum hostili animo tribuendum est: ita Deo semper fuit, & est liberum, offensas suas hominibus remittere, eosq; a Diaboli tyrannide vindicare: quòd si noluit, viderint quàm injurii sint in ipsius bonitatem & φιλανθρωπίαν, qui eum commentitiam istam satisfactionem pro nobis requisivisse opinantur. Quemadmodum deniq; stultum esset, si ii, qui captivos detinent, ipsi captivis pecuniam darent omnibus consciis, quam postea ab iisdem loco satisfactionis requirerent: ita non admodum sapienter de Deo sentiunt, qui ipsum humano generi Christum dedisse, ut iterum eundem, sive ejus sanguinem pretii loco reciperet, somniant. Quare nullum hîc revera habet locum illa distinctio, quòd *ubi data fuerit pecunia pro redimendis captivis, gratuita sit futura redemptio respectu captivorum, quia nihil dabunt: at non respectu Reipub. quæ dabit pecuniam*. Nam ne singula, quæ superioris exempli occasione diximus, hîc repetamus, ex quibus liquet, non posse hunc distinguendi modum absolutè & simpliciter admitti: quid profuerit hæc duo sobrio sensu accepta concedi, si tertium, in quo potissima similitudinis vis consistit, concedi nequeat? Nec enim temerè duplicis respectus fit mentio, Captivorum videlicet & Reipublicæ, omissis iis, in quorum potestate sunt captivi. Id scilicet plurimùm causæ adversarii obest. Esto sanè, quòd gratis redimantur captivi, interveniente nimirum eorum gratia & liberalitate, quorum pecuniâ redimuntur: esto quòd iidem non redimantur gratis, quatenus non sine contributione illa pecuniæ recipit Respublica cives ex captivitate, libertati pristinæ restitutos. Quis hoc in dubium vocat? Sed an idcirco gratuita erit captivorum dimissio respectu eorum, in quorum potestate fuerunt captivi? Num poterunt gloriari, quibus pecuniâ numeratâ cumulatissimè satisfactum est, quòd captivos gratis, vel ex gratia dimiserint? Minimè gentium. Ad hoc enim non tantùm requirebatur, ne captivi de proprio quicquam solverent, sed etiam ne ipsorum nomine quidquam ab aliis daretur, & ne λύτρον ullum ii, qui captivos detinuerant, acciperent. Eadem igitur ratione, ne Deus quidem ex sententia Adversariorum gratis peccata remisit humano generi, si non priùs homines dimissi sunt ex captivitate peccati & mortis, quàm ipsius justitiæ sufficienter est satisfactum. Quamvis enim homines nihil solverint de

suo, ipsorum tamen nomine & vice solvit Christus Deo, quod peccatores debebant. Vtut igitur hæc posterior similitudo ad errorem satisfactionis illustrandum videatur accomodatior quàm prior, inefficax tamen & insufficiens est ad declarandum, quomodo fieri possit, ut condonetur debitum, quod exigitur a creditore, sive ipse debitor, sive alius, qui ipsius vicem hac in parte sustinet, satisfaciat. Redemptionis autem sive pretii metaphora, qua ad explicandam liberationem nostram a peccatis utitur Spiritus S., non est extendenda præter & ultra scopum scripturæ, multò verò minùs contra manifestam sacrorum testimoniorum veritatem: sed satis est, si in eo conveniat spiritualis redemptio cum terrena, quod a sacris literis exprimitur, vel certè ab earum usu & intentione minimè abhorret. At si talis comparatio admittatur, inter redemptionem nostram & captivorum, qualem suprà, adversariorum causam quoad licuit sublevantes, instituimus, nō tantùm multa curiosè magis quàm utiliter, extra scripturæ authoritatem, sed etiam nonnulla eidem adversantia comminisci necesse fuerit. Nam ut cætera omittam, in redemptione captivorum, quæ fit per solutionem pecuniæ, pretium redemptionis datur ei, inq; ejus commodum cedit, in cujus potestate sunt captivi: in spirituali verò nostra redemptione, pretium sanguinis Christi nemo revera accepit, nisi cum Ambrosio & Augustino Diabolo id datum esse velimus, quorum authoritas ab ipsis pontificiis, hac in parte planè repudiatur. Quanquam dum ipsi plus sapere volunt, quàm isti Doctores, & Deum ipsum accepisse hoc pretium dicere non erubescunt, non minorem produnt suam incogitantiam. Nam quomodo Deus ipse hanc redemptionem fecisse dici posset, ut dicitur Lucæ 1. v. 68, si ipsi Deo redemptionis nostræ pretium datum esset? Deus ipse filium suum tradidit pro nobis, proprio filio suo non pepercit, tantum abest ut aliquid a nobis acceperit. Collusisse autem Deum cum genere humano, dato ipsis filio suo, & iterum eodem, loco pretii, recepto, sapientiâ divinâ prorsus indignum est. Non igitur satisfactio Pontificia redemptioni in hac similitudine respondet, sed redemptio nostra spiritualis, hoc est, liberatio a peccatis, quæ partim ipsi Deo, partim Christo tribuenda est: Deo quidem tanquam causæ primæ, qui redemptionem nostram ultrò procuravit, non ut justitiæ ipsius cujusdam implacabili satisfieret, sed, ut nos a morte æterna servari, & immortalitatis participes evadere possemus. Non enim pretium ejus causâ datur, qui redemptionem procurat, imò ipse est, qui illud dat, & idcirco

Ambr. Epist. 77. Augast. de Trin. l. 13. c. 14. & seq.

F

idcirco liberationem, quatenus ea in ipso est, non gignit: sed ejus causâ solvitur, qui servus aut captivus est, & hac ratione is ex captivitate, vel etiam servitute eximitur, unde liberatio ex parte eius gignitur & comparatur. Christo verò redemptio tribuenda, ut causæ secundæ, per quam omnia; qui sanguinem suum profudit, non ut patri irato persolveret nostra debita, sed ut nobis fidem faceret, Deum iniquitatum nostrarum memoriam in æternum depositurum, si ipsius dicto audientes fuerimus, & ita nos ardentissimo studio sectandi bona opera inflammatos, potestateq; super omnia plenè per mortem obtenta, eoq; qui habet potestatem mortis abolito, a morte in vitam nunquam finiendam revocaret. Rigori verò illi, qui impedit, quominus ii, in quorū potestate sunt captivi, absq: λύτρῳ eos dimittant, nō respondet justitia illa divina naturalis, sed spontanea ira, &, ut scriptura loquitur, furor & indignatio divina, quā homines peccatis sunt commeriti, quæ justissima quidem est, nunquam tamen justitiæ nomine a sacra scriptura appellatur, quam Deus ille μακρόθυμος, ad clementiam mirè propensus, non satisfactione illa commentitia, sed φιλανθρωπίᾳ & incredibili spontanea misericordia commotus, deposuit, nobisq; impunitatem citra ullam hujusmodi satisfactionem obtulit, si modò per pænitentiam veram ipsi reconciliemur. Nonné igitur jam vel ex his ipsis exemplis patet, quòd sive debitum exigitur ab eo qui debet, sive ab alio quopiam loco ipsius, nihil condonet creditor debitori? quemadmodum sive ipsum patrem per se remuneretur Rex pro meritis, sive filio ipsius, patre ita volente, hoc det, quod ad patrem pertinebat; sive captivi solvant pretium, sive Resp. pro captivis; nullam aut Rex erga patrem vel filium eo ipso exercet liberalitatem, aut qui captivos detinent, quatenus captivos dimittunt accepto precio, ipsis præstant gratiam. Itaq; dum veritati insidiatur Carmel:, seipsum refutat. Sed jam vereor ne nimium lectoris æquanimitate abuti videar. Quanquam id non tam mihi, quàm Carmelitæ sophismatis imputandū esse, quilibet cordatus intelligit. Et tamen mirū est, tantoperè sibi de iis Carmelitam gratulari, ut subjungere illa verba non dubitaverit: *Hîc applauserunt omnes* &c. Vnde apparet, quid hac disputatione potissimùm quæsierit Carmelita, cùm applausisse scribat omnes: cùm paucissimi, inter illos fuerint, qui rē, de qua disputabatur, intelligerent, tantum abest, ut omnes applausu disputantem Carmelitam approbarent. Vnde etiam quivis animadvertere potest, quàm vera sint illa, quæ asserit Carmelita, omnes evidentiam solutionis vidisse.

Ora-

ORATIO CARMELITÆ, QVA disputationem conclusit.

Certè auditores ornatissimi, veritas Catholica satis apparuit; objecta evidenter satis soluta sunt, ut propterea nemini difficultatem aliquam ingerere valeant. Nibilominus tamen ad majorem confirmationem veritatis, & consolationem Catholicorum, omissa pro nunc satisfactione Christi pro nobis; de divinitate Christi, de qua præcipua fuit controversia, dico, quòd de ea Angeli, de ea Prophetæ, de ea Apostoli, testimonium perhibuerunt; imò & ipse Christus verborum suorum authoritate eam confirmavit. Nullo ergo modo ab aliquo qui Christiano nomine censetur, negari potest. Brevissimè singula ostendo.

Angeli multoties testimonium perhibuerunt. & ut alia loca omittam, Lucæ primo, versu 16. Dixit angelus: Et multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum: & ipse præibit ante illum in spiritu & virtute Eliæ. &c. Ergo revera testimonio Angeli sanctus Ioannes convertit filios Israël ad verum Dominum, ac Deum Israël, qui sine dubio est verus ac summus Deus: sed Ioannes convertit ad Christum: Ergo testimonio Angeli Christus est verus ac summus Deus. Minor probatur: Quia Ioannis primo habetur expressè, qualiter Ioannes Christum prædicaverit, & ad ipsum discipulos direxerit, dicens: Ecce Agnus Dei &c. Actorum quoq; 13. dicitur. Eduxit Deus Israëli salvatorem Iesum, prædicante Ioanne ante faciem adventus ejus, Baptismum pœnitentiæ. Ergo revera Ioannes convertit, homines ad Christum. Ergo de primo ad ultimum, testimonio quoq; Angeli Christus est verè filius Dei.

Prophetæ testimonium perhibuerunt, & ut cæteros omittam, Baruch 3. habentur hæc verba. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum: Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo: post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. Ergo revera hic Deus, qui in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, qui sine dubio est Christus, est verus Deus in cujus comparatione, non æstimabitur alius: Ergo nullo modo est minor patre, sed a natura divinitatem habet, sicut & pater, estq; unus omninò Deus cum ipso.

Apostoli testimonium dederunt, & habemus quatuor Apostolos manifestè hanc veritatem confirmantes. S. Petrum. S. Paulum. S. Ioannem. S. Thomam. S. Petrus Matt: 16. inquit: Tu es Christus filius Dei vivi.

Hoc au-

Hoc autem dixit verè. Nam Christus approbavit hoc, & in præmium dedit illi, ut eßet Caput Ecclesiæ; dixit autem ipsum eße filium Dei per naturam; nam per gratiam, ipsum esse filium Dei, alii quoq; cognoverant, qui dicebant, ipsum eße Ioannem Baptistam, vel Eliam, &c. Super hæc autem omnia, aliam confessionem quæsivit Christus, & aliam fecit S. Petrus dicens: Tu es Christus filius Dei vivi. *Ergo revera sentit non solùm ex gratia, sed verè per naturam, ipsum esse filium Dei.*

S. Paulus innumeris in locis hoc testatur; solùm adduco illa verba ad Romanos.9. Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est supra omnia Deus benedictus in secula. *Vtiq; si est Deus, & est super omnia, erit verus Deus, æqualis Patri. Ille enim, qui est creatus, qui cœpit esse ex tempore, qui habet dependentiam, ac imperfectionem creaturæ, qualem isti dicunt esse Christum, non est Deus super omnia.*

S. Ioannes evidenter hoc, ac sæpissimè docet; sed relicto Evangelio, & Apocalypsi, sumo primæ ejus Epistolæ caput.1. (ita habetur in disputatione Carmelitana, pro 5.) *ubi hæc habet.* Vt simus in vero filio ejus, hic est verus Deus, & vita æterna. *Ergo revera filius Dei, est verus Deus, ejusdem naturæ cum patre: nam aliàs non poßet eße vita æterna, nec verus, sed fictus Deus.*

Deniq; S. Thomas, Ioannis 20. versu 28. Dominus *(inquit)* meus, & Deus meus. *Vbi notandum, quòd sanctus iste non dubitavit, quòd Christus esset filius Dei per gratiam, sed per naturam: & ideò non credebat, illum potuiße seipsum resuscitare, propriâ virtute, quod solius divinæ virtutis est proprium. Cùm ergo hoc ipsum confiteatur, dicens:* Dominus meus & Deus meus, *manifestè fatetur coram Christo & omnibus Apostolis, Christum eße verum Dei filium. Vlteriùs expendenda sunt verba, quæ Christus subdidit.* Quia vidisti me Thoma credidisti, beati qui non viderunt & crediderunt. *Viderat planè ex signis & resurrectione, Christum eße filium Dei per adoptionem: quid ergo aliud credidit, nisi Christum esse filium Dei per naturam? isti ergo qui nolunt credere, nisi id, quod sibi videtur, quomodo erunt de sorte eorum, quibus dixit Christus:* Beati qui non viderunt, & crediderunt?

Venio tandem ad Christum, qui Ioannis 10. dixit: Ego & Pater unum sumus. *Ergo revera ejusdem sunt ad invicem naturæ. Non enim poßumus intelligere,* unum sumus, *de unitate affectus & charitatis: sicut dicitur,* Volo Pater ut ipsi unum sint, sicut & nos unum sumus. *Nam ista est similitudo, quæ non debet tenere in omnibus: & mirum est,*

qualiter,

qualiter, quando in Genesi dicitur, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram : *nolint ipsi intelligere veram imaginem, ut sicut una est anima cum tribus potentiis in homine, ita in Deo sit una divinitas, cum tribus personis, sed ponunt similitudinem nescio quam, aut certè nullam, quia hoc est contra ipsos: & in locis aliis, quibus abutuntur contra Catholicos, volunt intelligere perfectam identitatem, dum sola similitudo, quæ utiq; in omnibus non tenet, a scriptura sacra ponitur. Nunc ergo de loco quem citavi, manifestè ostendam, qualiter ly,* Ego & pater unum sumus *non de unitate affectus, sed de unitate naturæ, juxta contextum, intelligi debeat.*

Primò. Nam ipse Christus explicuit inferiùs, quid sit, hoc, Vnum sumus *dicens:* Vos dicitis blasphemavit, quia dixi filius Dei sum. *Ergo idem erat* Vnum sumus *ac* filius sum, *At hæc filiatio, quæ tanquam blasphemia, objicitur Christo, est filiatio per naturam, non est enim blasphemia, quòd aliquis dicat se filium Dei per gratiam : Ergo revera, est hìc sermo, de filiatione, & unitate, per naturam. Secundò : Vrgeo adhuc efficaciùs, & ostendo qualiter per ly* Vnum sumus, *non debeat intelligi, unum voluntate, nam propter hoc* Vnum sumus *voluerunt Iudæi lapidare Christum, ut patet ex contextu. At non voluissent illum lapidare, si solùm dixißet se esse filium Dei, per adoptionem, vel unum cum illo, charitate. Quod apparet quoq; ex eo, quod Ioan: 8. dicitur.* Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia nō solùm solvebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. *Propter hanc quoq; causam, accusabant illum apud Herodem Ioan: 19. dicentes:* Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. *Certum est autem non fuißc morte dignum secundum legem, eum, qui se fecißet filium Dei adoptivum: Nam ipsi Iudæi, Ioan: 8. dixerunt:* Vnum Patrem habemus Deum. *Ergo revera intellexerunt, Christum facere se ipsum verum Deum, æqualem Patri. Vnde mirum est, istos non posse, vel nolle, intelligere, id, quod vel ipsi Iudæi, in verbis Christi Domini intellexerunt. Tertiò adhuc magis urgeo, & ostendo his verbis:* Vnum sumus, *debere intelligi unū naturâ. Nam istud dixit Christus ad probandum id, quod dixerat :* nullus rapiet eas de manu mea, *id est, oves, & facit quasi hoc argumentum,* nullus rapiet eas de manu patris mei, Ego & Pater unum sumus. Ergo nullus quoq; de manu mea eas rapiet. *Quæ argumentatio nulla eßet, si non intelligeretur* ego & Pater unum sumus *naturâ, & potestate; ut propterea, qui non rapuerit eas de manu Patris, nec de manu ejus rapiet, juxta illud Ioan: 16.* omnia quæcunq; habet Pater mea sunt.

Iam præsentio objectionem ipsorum, propter quam modò non possunt se continere, nec volunt audire veritatem: nam inquiunt. Ipse Christus explicuit, quid sit hoc unũ sumus dicens: si ergo dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi filius Dei sum. Ergo illud unũ sumus, nõ intelligitur de unitate naturæ. Ecce (dicent illi) ille ipse locus quem pater Carmelita tanti faciebat, ecce qualiter ab ipso Christo explicatur? Estne hæc objectio vestra? Istoné modo intelligitis hunc locum? Expectate Domini mei. Dico iterum cum omnibus Catholicis; per ly unum sumus debere intelligi unum naturâ, & hoc manifestè colligi ex istis ipsis verbis, in quibus vos fundamini, quãdo cætera quæ dixi deeßent. Nam primò, si sincerè verba hæc expenderetis, debebitis illa intelligere, habere vim comparativi: ac si diceret Christus, non blasphemant alii, dicendo se filios Dei, per hoc solùm, quòd ad eos sermo Dei factus sit, quantò magis ille, quem Pater sanctificavit &c. nõ blasphemavit, dicendo se esse filiũ Dei. (hoc loco annuisse nos dicit Carmelita) Atqui nõ excedebat alios per hoc, quod eßet filiꝰ Dei per adoptionem: Ergo si est comparatio, & procedit argumentum, a minori ad majus: evidenter patet per hoc sanctificavit voluisse Christum significare generationem suam æternam, per quam erat unum cum Patre, & speciali modo filius Dei, nempe per naturam, supra omnes alios Filios Dei, qui solùm sunt tales per gratiam. Deinde quærendum nobis est, quid sit hoc, sanctificavit? quæ sit sanctificatio ista? utiq; hæc est unctio Spiritualis, propter quam dictus est Christus, & de qua dicitur in Psalmo Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Quæ est hæc unctio, & sanctificatio præ participibus ejus, nisi unctio divinitatis? Nam unctio per gratiam sanctificantem non est præ participibus Christi. Sed jam ipsos relinquamus. Vidimus Auditores ornatissimi, qualiter volebant Iudæi Christum lapidare propterea, quia se dicebat filium Dei æqualem Deo. Quæro ergo quis dignus est lapidari? Christus? an ille qui dicit dignum eße Christum lapidatione, & benè feciße Iudæos, habuißeq; rationem, ac jus Christum lapidandi? Omnes dicent, non Christus, sed ille, qui dicit Christum eße lapidatione dignum. Atqui isti dicunt, Christum non esse naturâ filium Patris, & consequenter benè, & jure feciße Iudæos, qui volebant illum lapidare, omnium quippe judicio, si non erat verè filius Dei per naturam, (sicut isti dicunt) & nihilominus se talem faciebat, dignus erat lapidatione. Ergo revera isti dicunt Christum dignum eße lapidatione. Ergo multò magis erunt ipsi digni &c. ipsi sibi inferant consequentiam.

Expe-

Expectaßem planè, ut judicarentur isti, nisi viderem, juxta Evangelium, jam ipsos judicatos esse. Ab ipso enim Christo Ioan: 3. dicitur. Qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. *Statim me expedio. Non poßum tamen non ponderare hæc verba.* Iam judicatus est, *inquit. Quare?* quia non credit in nomine unigeniti filii Dei. *Quinq; verba, quinq; argumenta sunt contra adversarios.*

Non credit In. *Nullus gnarus linguæ latinæ, nisi vel stultus, vel blasphemus dicet unquam, credo* In *creaturam, sed credo* In *unum Deum: credo quidem creaturæ, sed non* In *creaturam. At isti credunt Christum esse creaturam. Ergo non credunt* In *ipsum, Ergo jam judicati sunt quia non credunt* In *&c. Et ubi est illud Ioan: 14. Creditis* In *Deum, & in me credite? Ista consequentia Christi in quo fundatur, nisi in unitate naturæ, & potestatis: alioquin quomodo eßet verum quòd qui* In *Deum crederet,* In *ipsum quoq; credere deberet? At isti non admittunt hanc doctrinam Christi, Ergo jam judicati sunt, quia non credunt,* In *nomine unigeniti filii Dei. Iam habemus* In.

Nomine. *Quod est hoc nomen, nisi illud de quo dictum est, Matthæi ultimo,* Euntes baptisate omnes gentes In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti? *Ista unitas nominis, ubi est apud adversarios, qui dicunt, non eße idem nomen Deitatis in omnibus his tribus, sed Patrem habere majorem Deitatem, & a natura, filium verò, minorem, & per gratiam, non ab æterno? Ergo isti credunt in nominibus, non in* nomine *unigeniti filii Dei. Ergo jam judicati sunt, quia non credunt in* nomine. *Iam habemus* Nomen.

Vnigeniti. *Quis est ille unigenitus, nisi ille de quo dictum est Ioanis 1.* Vnigenitus qui est in sinu Patris ipse narravit? *Sinus autem patris non est nisi divinitas: non enim habet materialem sinum: Ergo isti qui non credunt in hunc unigenitum, qui sit in sinu, id est, in eadem divinitate cum Patre, jam judicati sunt, quia non credunt* In *nomine* Vnigeniti. *Vlteriùs. Vnigenitus, taliter est genitus, ut nullus sit eo modo genitus, quo ipse; at per ipsos Christus est genitus per gratiam & adoptionem, non aliter, quàm alii Sancti, Ergo apud ipsos non est* Vnigenitus. *Ergo jam judicati sunt, quia non credunt* in nomine unigeniti. *Ecce jam habemus* Vnigeniti.

Filii. *Quis est hic Filius, nisi ille de quo dicitur ad* Romanos 8. Qui proprio filio suo non pepercit? *De quo dicitur Ioan:* 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret? *Atqui isti nō credunt, eße fi-*

eße filium *proprium sed adoptivum, non credunt Deum dedisse suum* filium *Unigenitum, sed primam creaturam. Ergo non credunt in* filium: *Ergo* jam *judicati sunt, quia non credunt in nomine unigeniti* filii.

Dei. *Quis est iste Deus, nisi ille de quo dictum est Ioan: 5. Quia Christus Patrem suum dicebat Deum æqualem se faciens* Deo? *Nisi ille, de quo dictum est ad Philip: 2.* Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo? *sed isti non credunt, in hunc Deum cui æqualis sit filius, sed quo minor sit filius, imò, qui verè non habeat filium naturalem, ac verum, Ergo non credunt in verum Deum: Ergo* jam *judicati sunt, quia non credunt in nomine unigeniti filii* Dei.

Nos ergo auditores nobilissimi obediamus Ecclesiæ, & credamus quod nobis proponit, & scriptura docet, credendum nimirum nobis eße, In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.

Addit autem Carmelita, *Omnes tunc applausiße victoriæ, & Dn. Stupski Archidiaconum Wladislaviensem incepiße, & cæteros prosequutos eße :* Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto; *eoq; dicto discessisse.*

REFVTATIO SVPERIORIS Conclusionis.

NOn contentus Carmelita iniqua illa agendi ratione, qua veritatem non tantùm premere, sed etiam opprimere planè conatus est, tunc potissimùm Opponenti silentio injuncto, cum ab illo se urgeri videret, tentavit, an aliâ paulò, ut ipsi videbatur, plausibiliori via, posset persuadere auditoribus victoriam ipsi esse adjudicandam. Nam depositâ Respondentis, & assumtâ non tam Opponentis, quàm concionatoris personâ, orationem recitavit, in qua ipsi argumentari contra nos libuit, sed ita, ut nemini ad argumenta respondere quicquam liceret, nemini probationem ab ipso postulare, nec si alicubi speciosè magis quàm verè aliquid ad sua confirmanda protulisset, quid in eo desideraretur ostendere. Quare cùm non licuerit nobis tum temporis per Carmelitam veritatis patrocinium suscipere; videamus nunc, quantum roboris ea habeant, quæ contra nos in medium tum protulit. Orationem autem suam ita orditur Carmelita: *Certè Auditores ornatissimi, veritas Catholica satis apparuit; objecta evidenter satis soluta sunt, ut propterea nemini difficultatem aliquam ingerere valeant.* Si per veritatem Catholicam intelligit Adversarius sententiam communem plerorumq; Christianorũ, de Christo consubstantiali Patri, quæ veram & a Patre datam filii Dei divinitatem evertit, & satisfactionẽ Christi, quæ remissionem gratuitam peccatorum tollit; magnam facit injuriam S. scripturæ, quam hac ratione nõ tantùm insufficientiæ accusat, cùm nihil horum in ipsa reperiatur, sed etiam falsitatis, cùm contrarium ex ea colligatur. Veritas Catholica non est sententia de religione ea, quam pleriq; Christiani corrupti hodie sequuntur, sed quam omnes sequi & profiteri tenentur. Hæc autem in S. literis est comprehensa, quæ unica sunt, ac certissima credendi & piè vivendi norma, atq; regula. Multitudo enim errantium non parit errori patrocinium.

An verò satis evidenter soluta sint argumenta nostra, nec ulla causa subsit, ob quam de sententia, adversus quam sunt directa, dubitare liceat, judicent omnes præjudicata opinione seposita.

Subjicit Carmelita: *Nihilominus tamen ad majorem confirmationem veritatis, & consolationem Catholicorum, omißâ pro nunc satisfactione Christi pro nobis; de divinitate Christi, de qua præcipua fuit controversia, dico, quòd de ea Angeli, de ea Prophetæ, de ea Apostoli, testi-*

monium perhibuerunt;imò & ipſe Chriſtus verborum ſuorum authoritate eam confirmavit. Nullo ergo modo ab aliquo,qui Chriſtiano nomine cenſetur,negari poteſt. An ea, quæ hoc loco promittit Carmelita, præſtiterit,poſtmodum apparebit. Quanquam Adverſarius ſuo more ambigua voce *divinitatis* ſuum errorem commendare, noſtram verò ſentētiam in odium vulgi adducere conatur. Nam quaſi hunc telа argumentationis noſtræ torqueamus, ut Chriſti divinitatem evertamus, ita propoſitionem confirmandam format: quòd de ea,hoc eſt divinitate,Angeli,de ea prophetæ &c.teſtimonium perhibuerint, & ipſe Chriſtus: ut ſcilicet hujuſmodi verborum involucro nobis invidiam pariat,qui,ut ipſius verba præ ſe ferunt,divinitatem Chriſti,tot tantisq́;teſtimoniis comprobatam, in dubium vocare audeamus, quā tamen & corde credimus,& ore profitemur,hoc tantùm addito,eam Chriſto non eſſe naturalem , ſed ex Dei Patris gratia in eum profectam , contrà quàm ſentit adverſarius , qui Chriſtum per eſſentiam atq; ab æterno,non ex Dei gratia, ſed prorſus neceſſariò , Deum eſſe ſtatuit.Quam obrē niſi adverſarius aliud propoſuiſſe,aliud cōfirmare voluiſſe videri velit,dum ſe ex his teſtimoniis,quæ in medium affert, oſtenſurum pollicetur divinitatem Chriſti,de divinitate,quam Chriſtus patri acceptam ferre non debeat , ſed quam neceſſariò Chriſtus per naturam habeat, loqui intelligendus eſt , & ita contra id , quod ſcriptura aſſerit,affirmare,non hunc Ieſum quem Iudæi crucifixerūt, ſed illum qui crucifigi nulla ratione potuit , ideoq́; nec mortuus eſt, nec reſurrexit , nec ad dexteram Dei ſedit, eſſe Deum , Dominum & Chriſtum noſtrum : idq́; non quia talis factus ſit , ſed quia ab æterno naturaliter Deus ſit.

Porrò priuſquam Adverſarius ad confirmationem propoſitionis accedat , inſerit hoc loco non nulla, quæ oſtendunt, qua æquitate in diſputando fuerit uſus. Verba ſunt hæc: *In tota hac concluſione tentabant variis modis Adverſarii turbare dicentem Patrem,qui tamen nihil eos curavit,dicens,ſe ad veræ fidei profeſſores habere ſermonem,ut, quia auribus perceperunt venenum erroris,recepto veritatis pharmaco ex fidei principiis evidenter deducto , nullo modo noceat illis venenata doctrina Ariana. Probavit ergo ſingula, quæ ſupra poſuerat per ordinem.* Reſpondeo. Vnicus modus fuit , quo non turbare Patrem. (ut ſeipſum appellat Carmelita) dicentem , ſed veritati a Carmelita oppreſſæ ſubvenire , & crimina ſibi iniquiſſimè objecta purgare , ſuamq́; innocentiam & Chriſti gloriæ ſtudium teſtari ac de-

fendere

fendere conati sunt nostri: nempe ad testimonia violenter ad errorem stabiliendum detorta, & ratiocinationes pessimè conclusas, directè respondere. Vnde igitur ista varietas modorum, unde turbæ? Quòd verò ait, *se, Adversarios ipsum volentes turbare*, hoc est ad ipsius argumenta respondere, *nihil curasse*; eo ipso prodit, quàm longè ab æquitate, atq; humanitate, quam fuerat pollicitus, tum temporis discesserit. An enim humanitatis, an æquitatis hoc est, Opponentem ad disputandum amicis verbis invitatum, partim ne argumenta sua urgeat, & responsiones allatas convellat, partim ne ad rationes & crimina iniquè sibi objecta respondeat, prohibere? quorum alterum antea factum esse, suprà est fassus, alterum hoc loco fatetur. At habet, quo se defendat. Nihil, inquit, *eos curavit, dicens, se ad veræ fidei professores habere sermonem*. Quasi verò hoc tempus dicatum fuerit concioni, & non disputationi: aut quasi Adversarii ad audiendum ipsius sermonem, quem in gratiam suorum habiturus erat, invitati fuissent, suos verò aliàs alloqui non licuisset: aut quasi penes Carmelitam sit decernere, quinám sint veritatis professores, qui non sint. Verùm affert rationem, quæ ipsum quodammodo coëgit ad concionandum, *ut adversus venenum erroris auditores antidotum reciperent veritatis, ex principiis fidei evidenter deductis*. Sed cur quæso, hoc venenum propinari curavit Auditoribus, nobis ad disputationem provocatis? Quis est tam imprudens, qui amico suo vulnus infligi curet, in spem emplastri, quo mox apposito mederi cupiat? Præterea, si ad argumenta nostra, ut par erat, respondit, judicioq; omnium ea evidenter solvit, nihil metuendum erat a veneno erroris auditoribus. Nam remedium contra venenum erroris præsentissimum est, ostendere & demonstrare errorē. Quanquam si remedium tantùm contra venenum propinare voluit, quid sibi volunt illa verborum fulmina quibus nos ferire conatus est? an putat per hæc aliquid virtutis accedere pharmaco? Principia verò fidei, quàm candidè S. li: ex quibus solis argumenta deinceps promit, statuere videatur, nō disquiram. Sanè qui S. litteras dubiæ auctoritatis, nisi Ecclesiæ Romanæ auctoritate nitantur, & deniq; obscuritatis, etiam in iis quæ sunt ad salutem necessaria, arguere non erubescit, admodum humili & ignobili sensu, easdem principia fidei vocet oportet. Qui dicit, soli S. scripturæ credere, perinde esse, atq; si nihil credas; aliaq; his similia, quæ Carmelita, nisi suos deserere velit, quorum scripta publicè extant, affirmet oportet, principia fidei scripturā S. appellari vix posse. Quòd verò do-

Wujekus in [illegible]. Apolog. Postillæ Cathol. polon. edita.

ctrinam Arianam venenatã dicit: id ad nos, qui ab Arii sententia plurimum dissidemus, nihil pertinet: imò ei longè est vicinior Carmelitana: nam & hæc Christum, quemadmodum Arius, priùs extitisse quàm ex virgine nasceretur, & humanam carnem induisse affirmabat; quæ omnia Carmelita contra nos affirmatè urget: nos verò in negatione tantùm ejus rei, quæ extra S.S. & symbolum Apostolicum est excogitata, cum Ario convenimus.

Pergit auctor: *Angeli multoties testimonium perhibuerunt. & ut alia loca omittam, Lucæ.* 1.*v.*16. *dixit angelus. Et multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum: & ipse præibit ante illum in Spiritu & virtute Eliæ &c. Ergo revera testimonio Angeli Sanctus Ioannes convertit filios Israël ad verum Dominum, ac Deum Israël, qui sine dubio est verus ac summus Deus: sed Ioannes convertit ad Christum. Ergo testimonio Angeli Christus est verus, ac summus Deus. Minor probatur. Quia Ioannis primo habetur expreßè, qualiter Ioannes Christum prædicaverit, & ad ipsum discipulos direxerit, dicens: Ecce agnus Dei &c. Actorum quoq;* 13. *dicitur. Eduxit Deus Israëli Salvatorem Iesum, prædicante Ioanne ante faciem adventus ejus, Baptismum pœnitentiæ. Ergo revera Ioannes convertit homines ad Christum. Ergo de primo ad ultimum, testimonio quoq; Angeli Christus est verè Filius Dei.* Hîc in ipso statim limine graviter impingit Carmelita. Nam primùm in syllogismo ab ipso formato, qui est: *Ioannes convertit filios Israël ad Dominum ac Deum Israël, qui est verus ac summus Deus. Ioannes convertit ad Christum. Ergo Christus est Dominus ac Deus Israël, qui est verus & summus Deus.* in hoc, inquam, syllogismo, quod ex præmissis infertur, malè infertur: cùm nec major nec minor terminus integrè in conclusione ponatur; quod tamen prorsus est necesse. Nam major terminus non est *Dominus ac Deus Israël,* nec minor *Christus,* ut Carmelita videtur credidisse: sed major terminus est, *convertere multos filiorum Israël ad Deum;* minor, *convertere multos filiorum Israël ad Christum;* sola vox *Ioannes* medius terminus. At Carmelita *Christum* & *Deum verum ac summum* tantùm in conclusione posuit. Quòd si rectè inferretur, ejusmodi conclusionem esse oporteret: *Ergo aliquis qui convertit multos filiorum Israël ad Dominum Deum ipsorum, convertit eosdem ad Christum:* quæ conclusio nihil adversum nos faceret. Atq; ut rectiùs argumentationis hujus infirmitatem, & quæ in ea est, captionem perspicias, similimam ei subjiciemus argumentationem, quæ si admitteretur, concedendum esset,

Christum

Chriſtũ eſſe ipſum Patrem ſuum, quo nihil poteſt cogitari abſurdius: *Ioannes convertit filios Iſraël ad Patrem Domini Ieſu Chriſti. Ioannes convertit filios Iſraël ad Chriſtum. Ergo Chriſtus eſt Pater Domini Ieſu Chriſti.* Non ovum ovo eſt ſimilius, quàm hæc argumentatio Carmelitanæ; quam ſi captioſam eſſe agnoverit, ſuam quoq; fallacem eſſe agnoſcat, neceſſe eſt. Deprehendet autem idem hîc eſſe vitium, quod in ipſius argumento ſuprà notavimus. neq; enim rectè infertur concluſio, & major ac minor termini non integrè ponuntur in concluſione, quæ talis eſſe debebat: *Ergo aliquis, qui convertit filios Iſraël ad Chriſtum, convertit filios Iſraël ad Patrem Domini Ieſu Chriſti.* Alterum vitium argumenti Carmelitani latet in voce *convertendi.* Nam ſive eodem ſignificatu eam uſurpet in aſſumtione, quo in propoſitione, ſive diverſo, perperam concludit. Si eodem; vitium eſt in materia: Minor enim falſa eſt, nec ex locis a Carmelita productis probari poteſt. Sin diverſo; novum erit in argumento vitium. plures enim erunt termini in Syllogiſmo quàm tres. Explico quid mihi velim. Si eo ſenſu pronunciet Carmelita, Ioannem convertiſſe Iſraëlitas ad Chriſtum, quo Angelus dicit, multos ab ipſo converſos ad Deum Iſraëlis, errat non leviter. Angelus enim eo ſenſu id pronunciat, quòd Ioannes Iſraëlitas, qui aliquando ſuos majores ſequuti Deo illi ſummo adhæſerant, vel certè ſe adhærere fuerant profeſſi, & cui adhærendum eſſe, infinitis modis antea publicè atq; apertè confirmatum fuerat: quòd, inquam, hos impiâ vitâ & peccatis contra legem Moſis commiſſis, a Deo averſos atq; alienos factos, ad pœnitentiam terrore alioquin impendentium pœnarum adducere debuerit. Verùm iidem Chriſto numquam priùs adhæſerant, nec eidem adhærendum eſſe apertè ac publicè ante Ioannis prædicationem ulla ratione confirmatum fuerat: ac proinde nec ante prædicationem illam a Chriſto averti, nec interventu ejuſdem prædicationis ad Chriſtum eo ſenſu, quo hîc intelligere eſt neceſſe, converti potuere. Neq; verò locus ex 1. cap. Ioann. allegatus oſtendit, Ioannẽ Baptiſtam voluiſſe eos, ad quos hæc verba protulit, ad Chriſtum convertere, ſi propriè loqui velimus: ſed tantùm perſuadere, remiſſionem peccatorum & vitæ innocentiam, ſine qua illa non contingit, in Chriſto quærendam eſſe. Verba autem Pauli Act:13. tantùm indicant, Ioannem initium quoddam Evangelii feciſſe, & viam quodammodo Chriſto præparaſſe, atq; ipſius abſolutiſſimæ doctrinæ, mox ſuam prædicationem ſequuturæ, aditum, ad pœnitentiam

peccatores invitando præmuniisse. Nam pœnitentiam, in Deum, quatenus a Christo distinguitur, propriè referri, innuit Paulus Act. 20, 21. Quod si nova quadam ratione affirmet Carmelita Ioannem convertisse Israëlitas ad Christum: veluti quòd a Deo missus venit ad testimonium perhibendum de luce, monuitq; ne existimarent se esse Christum, quemadmodum pleriq; opinabantur, sed in eum, qui post ipsum venturus erat, crederent, atq; ita eos a se quodammodo ad Christum ablegavit, alióq; simili respectu: direxisse eum Israëlitas ad Christum, concedi fortasse poterit Carmelitæ: sed an convertendi voce id rectè exprimatur, ipse viderit. Nobis satis est ostendisse, captiosè illa uti Adversarium: unde cùm Carmelita verba illa, *multos filiorum Israël convertit*, habeat pro parte medii termini, in argumento ipsius quatuor emergunt termini, qui si explicatiùs proferantur, manifestè apparebit fallacia:

Ioannes multos Israëlitarum convertit ad Deum ipsorum patrũ.
Ioannes multos Israëlitas direxit sive relegavit ad Christum.
Ergo Christus est Deus Israëlitarum patrius.

Frustra igitur Carmelita suum illud *Ergo* toties ingeminat: nec enim quaternis vicibus ejusdem vocis facta iteratio argumento ipsius robur addere potest. Cur verò postremò aliter suam conclusionem conceperit, atq; priùs formaverat, ipse viderit. Nos calumniam quæ in utraq; conclusione latet, & contradictionem, quæ adversarii causam pessundat, detegamus. Cum ex Angeli testimonio adversus nos disputans colligit, Christum esse *verum* ac summum Deum, perinde loquitur, atq; si unquam nos inficiari audisset, Christum esse *verum Deum;* quemadmodum certum est, nos non concedere, Christũ esse *summum Deũ.* Qua in re quantâ nos afficiat injuriâ, Christo ipsi, qui corda & renes scrutatur, quemq; *verum Deum*, hoc est verè divina potestate & imperio præditum, & corde credimus, & ore confitemur, veluti justo judici judicandum committimus. Interim verò judicet etiam cordatus lector, qua fide & constantia (ut imprudentiam non commemorem) suprà me affirmantẽ introduxerit Carmelita pag: 40. Christum esse verum ac *summum* Deum. Nimirum prodit se sorex suo indicio. Verum Deum esse Christum palàm confessus sum, & etiam nunc confiteor ex animo: at non summum. nec enim eadem est utriusq; vocis ratio. Quoscunq; enim Deus ipse Deos in sacris literis appellat, ii veri Dii appellari meritò possunt, (falsi enim non sunt) summi autem nulla ratione. Summus enim Deus non potest esse

test esse nisi is, qui naturâ & essentiâ Deus est. Licet etiam nomen *veri Dei* Patri tantùm, qui solus est ille summus Deus, κατ' ἐξοχὴν tribui in sacris litteris optimè norimus. Sed Carmelita, qui hæc duo æquipollere arbitratur, ex proprio animi sensu nostrum æstimans, suprà quidem nobis vocem *summi* apertè affinxit, hîc verò eandem nostræ confessioni detraxit. Neq; hoc contentus, novam calumniam adjicit. Nam postremò tandem concludit, Christum esse verè filium Dei: quasi scilicet nos id unquam negemus, vel, (quod tamen, etiamsi verum esset, excusare calumniam Carmelitæ non potest) ex nostra sententia id exprimi possit. Atqui tantùm abest, ut ex eo, quòd Christus non sit summus Deus, consequatur, non esse etiam eundum verè Dei filium, ut per necessariam & evidentem consequentiam demonstrari possit, altero ex his de Christo posito, alterum tolli. Nam si Christus est summus ille Deus, quomodo filius summi illius Dei dici potest? & si filius ipsius verè est, ut profectò est, quomodo ille idē Deus, cujus est filius, esse potest? Itaq; dum nos sciens prudens, quamvis tacitè calumniari vult Carmelita, seipsum imprudens & invitus non obscurè refellit. Sed de hoc fortassis infrà paulo plura. Nunc priusquam hinc abeamus, quædam ex iis locis, quæ pro Minore sua confirmanda produxerat Carmelita, depromemus argumenta, quæ ipsius sophismati jure opponi, cumq; erroris coarguere posse videntur. 1. esto: Is solus est Deus Israëlis, qui eduxit (vel ut textus habet, *suscitavit*) Israëli servatorem Iesum. Atqui Christus non eduxit Israëli servatorem Iesum. Ergo Christus non est Deus Israëlis. 2. sit tale: Nullus agnus Dei est ipse Deus altissimus. Christus est agnus Dei. Ergo Christus non est Deus altissimus. Majorem postremi syllogismi vel ipsa loquendi ratio veram esse demonstrat. Quis enim sine absurditatis, adde etiam blasphemiæ crimine, agnum Dei esse illum ipsum Deum, cujus est agnus, affirmare audebit?

Hæc de testimonio Angeli, quo opinionem, quam confirmare fategit, planè pessundedit Carmelita. Sequitur novum argumentum ex cap:3. Baruch depromtum: ubi habentur hæc verba secundùm allegationem Carmelitæ: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum: hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo: posthæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Vbi jure reprehendi potest, quòd cùm Prophetarum testimonio sua comprobare, ex promisso suo teneretur, hîc Prophetis omissis, testimonium ex Baruch affert, quem esse

 Apocry-

Apocryphum, Hjeronymus, cui Carmelita plurimùm tribuit, docet. Is enim in præfatione sua Ieremiæ præfixa ait, hunc librum apud Hebræos nec legi nec haberi, ideoq; a se prætermissum. Cui etiam hac in parte ipsi Pontificii doctores, inter quos est Ioannes Driedo & Melchior Canus, adstipulantur. Sed finge hunc librum Canonicum esse. Vetus quidem interpres, cujus translationem laudat Carmelita, favere videtur sententiæ, quam defendit Carmelita: at si fontem Græcum consulas, aliam verborum Baruchi sententiam esse posse, facilè deprehendes, quàm vult Carmelita, vulgatæ versioni nimiùm addictus, Græca veritate posthabita. Nam verba illa *visus est* & *conversatus est*, commodissimè possunt, & (si quis initium sequentis cum fine præcedentis capitis conferre, atq;, ut sensus loci requirit, connectere velit) reddi debent *visa est*, & *conversata;* puta, scientia illa a Deo data, ac lege Dei comprehensa: id est, cognita hominibus & familiaris reddita, posteaquam nimirum Iacobo data esset. Cur igitur Carmelita suæ vulgatæ versionis auctoritate sibi ipsi aliisq; imponit, veritatemq; opprimere conatur? Sanè Trinitarii non pauci, quantumvis in aliis Ecclesiæ Romanæ adversi, at in sententia de Christi natura divina idem cum Carmelita sentientes, variis in linguis non masculino sed fœminino genere ea verba transtulêre. Nec mirum; Cùm ipsa vulgata versio initio cap. sequentis hæc verba subjungat: *Hic liber mandatorum Dei, & lex quæ est in æternum.* En habes declarationem superiorum, quæ indicat, paulo antè non de Deo, sed de scientia illa Iacobo data verba fieri; quæ cùm ad superiora omnino referantur, non debebant nec poterant aliter verti, quàm ut a Tigurinis sunt reddita: *Hæc* (subaudi scientia) *est liber* &c. Huic geminum locum habent adversarii in Ecclesiastico, similiter Apocrypho, cap. 24. v. 32. quem si præjudicata opinione seposita expendere vellent, nullo negotio deprehenderent, se haud leviter errare, dum sapientiam illam de Christo interpretantur.

Omitto, quòd etiamsi verba Baruchi, quæ adversarii urgent, & quæ ex Græco non masculino sed fœminino genere converti posse docuimus, ad Deum ipsum altissimum referri posse concederemus, nō illicò concludendū esset, Christum esse illum ipsum Deū Israëlis, de quo ibi sermo est. Nam cùm hoc per se absurdum sit & contradictionem involvat, unum tantùm Deum esse, & tamen Christum, qui filius ipsius est, illum ipsum Deum esse; nonne præstaret verba Baruchi in eam sententiam accipere, quæ cum universa scriptura egregiè consen-

consentiat, quàm ad tam portentosum & fœdum errorem stabiliendum ea detorquere? Nec enim video quid prohibeat, quominus suo modo dici possit, Deum Christi patrem in terris visum, & cum hominibus conversatum esse: quatenus idem, ut Apostolus loquitur, revelatus est in carne, justificatus in spiritu, prædicatus est gentibus, & receptus gloriosè: quo loco vocem *Dei*, quæ in textu Græco habetur, quamvis vulgata versio ad *mysteriũ* hæc omnia referat, de Christi patre accipiendam esse, ex eo patet, quòd vox Dei, cum subjecti locum obtinet, nusquam nisi de Patre accipiatur. Et sanè si ab Angelis tunc Deus visus esse dici potest, quando voluntatem & consilium ejus de salute humani generis sapientissimum, & potentiæ divinæ ac bonitatis infinitæ laude decoratum cognoverunt, & quodammodo conspexerũt, (alia enim ratione de angelis dici non potest, quòd sub novo fœdere demùm Deum Patrem viderint) si Christus, patrem ab eo visum esse, qui ipsum vidit, asserere non dubitavit, & S. scriptura ab iis, qui Deum norunt, Deum videri docet, si deniq; universa divinæ voluntatis & benignitatis ratio toti humano generi est clarissimè & sufficientissimè patefacta, adeò ut se & Patrem suum venturos ad eum, qui servat mandata ipsius, & mansionem apud eum facturum, & cœnaturum cum eo Christus affirmet; quis non videt, elegantissimè dici posse, Deum visum esse in terris, & cum hominibus conversatum, cum ipsius voluntas nota & quodammodo familiaris est reddita hominibus? Sed cùm nihil cogat nos hanc explicationem loco Baruchi accommodare, ad infirmitatem argumenti Carmelitani tanto magis ostendendum, eam indicasse sufficiat; interim verò sensum, qui & magis proprius, & quem contextus ipse requirere videtur, planè amplectimur & approbamus. Non videtur autem perinde sicco pede transeundum, utut cætera vel minutiora, vel etiam unicuiq; obvia prętermittenda sint, illud, quod parum verecundè, contra expressissima Christi verba, ausus fuit Carmelita hoc loco abuti, & non reipsa tantùm, sed etiam verbis, e diametro Christo contradicere, dum non tantùm ait, Christum Patre minorem non esse, sed, ut tanto evidentiùs contradictio appareat, nullo modo minorem esse: Vtri potiùs credamus, Carmelitæné an Christo? Christus ait: pater major est me. Carmelita verò: Christus nullo modo est minor patre: hoc est: Pater nullo modo major est Christo. Quid est filio Dei contradicere, si hoc non est? Rursus verò cum unum omnino Deum cum Patre Christum esse affirmat, & tamen eundem sicut & Patrem natu-

1 Tim. 3. v. 16.

Ioh. 14. v. 9.

ib: v. 23.

Apoc. 3. v. 20.

Ioh. 14. v. 28.

 tâ Deum

râ Deum esse dicit, sibi ipsi contradicit. Nam si omninò unus Deus est Christus cum Patre, cur eum cum patre comparat, & notâ similitudinis alium esse a Patre indicat? An comparatio inter unum eundemq; institui potest, & non inter diversos? Dicet, unum esse Deum quoad essentiam sive substantiam, non quoad personam. Atqui essentia & persona in Deo idem est, ut patet ex definitione personæ a Boëtio tradita, & a Theologis etiā Pontificiis approbata. definit enim personam, substantiam individuam rationalis naturæ, seu, quod idem est, substantiam individuam intelligentem. Superest ut testimonium hoc in adversariū retorqueamus. Itaq; sic arguo: Christus non tradidit viam disciplinæ Iacobo. Ergo Christus non est ille Deus, de quo loquitur Baruch. Antecedens patet, si percurras universorum Bibliorum libros Canonicos, ubi ne semel tale quicquam reperies; quod tamē impossibile esset, si ita se res haberet: imò ea leguntur, quę suadēt contrarium, atq; Christum bis mille annis & ampliùs post Iacobum natum testantur. 2. Ille Deus Israëlis, de quo Baruch loquitur, est ejusmodi, ut adversus eum non æstimetur alius, hoc est, ut Tigurini, Græco codice consentiente reddiderunt, cui non est comparandus alius. Atqui adversus Christum æstimatur alius, seu alius illi est comparandus, nempe Pater. Ergo Christus non est ille Deus Israëlis, de quo Baruch loquitur. 3. Deus Israëlis nunquam propriè loquendo quo ad essentiam in terris visus est, nec cum hominibus conversatus. Christus propriè loquendo in terris visus est, & cum hominibus conversatus. Ergo non est Deus Israëlis.

Sed jam ad Apostolorum testimonia veniamus, in quibus sui erroris præsidium collocat Carmelita. Producit autem primùm verba Petri Matth. 16. *Tu es Christus filius Dei viventis.* In quo testimonio contra nos urgendo, tripliciter ad minus peccat. 1. Quòd inanem operam sumit in asserenda veritate verborum Petri. Nemo enim unquam, quod sciam, ex iis qui Christi nomine censentur, dubitavit, verè hoc a Petro dictum fuisse, nisi fortè nos etiam tantâ calumniâ pungere voluit Carmelita. 2. Peccat deinde, quòd non inutilem tantùm, sed etiam clarissimæ veritati quodammodo noxiam in ea probanda collocat operam. Admiscet enim Carmelita rationi legitimæ quiddam, quod non tantùm controversum esse novit, sed etiam planè falsum esse nosse debebat: præmii loco videlicet Petro datum fuisse, ut esset caput Ecclesiæ. qua de re non est hîc disputandi locus: præsertim cùm alibi a nostris accuratè sit excussa & discussa. Tantùm

obiter

obiter in memoriam lectori revocandum: non caput Ecclesiæ, sed petram, super quam ædificaturus erat Ecclesiam Christus, constitui hoc loco Petrum: nec ad solum Petrum, sed ad omnes Apostolos, qui a Christo interrogati sunt, & quorũ nomine, ut pote qui idem prorsus credebant, (ut videre est Matth.14.v.33.) Petrus respondit, ea pertinent, quæ Christus hoc loco promittit. Nam alibi etiam eadem partim iisdem, partim æquivalentibus verbis tribuuntur Apostolis: imò ex parte etiam prophetis qui erant inferiores Apostolis. Vide Ioann: 20.v.21. Eph.2.v.20. 3. Deniq; peccat Carmelita, dum Petrum dicentem facit, Christum esse filium Dei per naturam, id est, ejusdem essentiæ cum Deo patre. Alioquin naturalem filium Dei esse Christum, quatenus ab ipso conceptionis & nativitatis ortu præter Deum neminem alium patrem habuit, & per naturam, nempè immortalem, quam post resurrectionem adeptus est, & per eam quasi regenitus, concedi potest. At quærit Carmelita, quo modo hoc suum commentum defendat. Videamus quid invenerit. *Per gratiam*, inquit, *ipsum*, hoc est Christum, *esse filium Dei alii quoq; cognoverunt*, &c. In qua ratiocinatione adversarii non uno modo peccatur. Nam 1. cùm ait: illos quoq; cognovisse, Christum esse filiũ Dei per gratiam, qui dicebant, ipsum esse Ioannem Baptistam, vel Eliam, &c. vocem *cognoscendi* captiosam esse, nemo non perspicit. Si enim falsò opinati sunt, Christum esse Eliam, vel Ioannem Baptistam, statimné inde colligi potest, eos cognovisse, Christum esse per gratiam filium Dei? Neq; enim sequitur, eos id cognovisse, quia ex sententia illorum erronea id sequatur. Quod si enim ne ex iis quidem, quæ verissima sunt, quilibet colligere potest, idquod necessariò colligendũ est, quid vetat, quominus ex erronea sententia non statim a quovis colligatur veritas? Ex multis eorum, quæ confitetur Carmelita, ego crediderim ipsum erroris convinci posse, ac veritatem nostræ de Deo Christoq; sententiæ necessariò comprobari, ut ex iis, quæ hactenus contra ipsum disseruimus, apparuit, & ex infrà dicendis apparebit, neq; tamē hoc intelligit vel agnoscit Carmelita. Quin etiam ipse idem se facere posse adversus nos opinatur, neq; tamen hactenus credit, nos id agnovisse. Quid verò profuerit Carmelitæ, etiamsi tandem aliqua ex parte concederemus, illos cognovisse, vel saltem suspicari potuisse id, quod vult? Numquid illam cognitionem sive conjecturam infirmam tanti faciendam censet, ut non permittat, quicquam ampliùs Christum ab Apostolis sciscitari ejusdem filiationis respectu?

2. Quanquam nec illud multùm a fallacia abeſt, quod pro conceſſo ſumit Carmelita, Chriſtum aliam confeſſionem quæſiviſſe: cùm ex vi verborum, quibus in ſua interrogatione Chriſtus utitur, nihil tale colligi neceſſariò poſſit. Simpliciter enim Chriſtus rogat: *Vos autem quem me dicitis eſſe?* Quod ſecundùm quid accipere, aut ita reſtringere, ut videtur velle Carmelita, non video quid cogat; quaſi dixerit Chriſtus: Vos autem aliquid aliud dicite; vel, habetisné aliquid aliud? Quanquam qui ſic interrogaret, non ſimpliciter aliud quæreret. Sufficit enim ſi dicamus, Chriſtum poſtulaſſe ab Apoſtolis, ut ſenſum ſuum, qualiscunq; tandem ille fuerit, aperirent, ſive ille alius fuerit, ſive idem, ſive præſtantior, ſive humilior, aut æquè præſtans. 3. Adde quòd non ſimpliciter *aliam*, ſed *ſuper hæc omnia aliam* quæſiiſſe confeſſionem, citra ullam probationem aſſerit. Quid ſi enim non ſupra, ſed præter hæc, vel certè non ſuper omnia, ſed ſuper quædam, quæ ſub hujus erroris involucro latere videntur (nempè Chriſtum fuiſſe prophetam, eumq; unum ex præcipuis, & ſi libet, eatenus etiam ſuo modo filium Dei) aut deniq; nec præter, nec ſuper, ſed contra hæc omnia, quæ verbis illorum expreſſè continebantur, id eſt, diverſum quiddam ab iis audire voluit, ut certè audivit, ex Apoſtolica confeſſione? 4. Sed longè manifeſtiùs ludit Carmelita in voce *alia*, dum aliam a Chriſto quæſitam, aliam a Petro factam, id eſt, a priori diverſam confeſſionem, aſſeverat. Quemadmodum enim utrumq; horum ſobriè explicatum, non eſt rejiciendum, imò prius quidem citra veritatis injuriam poteſt, poſterius etiam debet admitti: ita pravo ſenſu ad confeſſionem præclaram & eximiam evertendam & annihilandam detortum, omninò negandum eſt; eſtq; in hujuſmodi collectione præter æquivocationem, fallacia, quam conſequentis vocant. Nam etſi verè colligatur, ſi Chriſtus requiſivit ab Apoſtolis talem confeſſionem, quę ipſum eſſe filium Dei per naturam, hoc eſt, ejuſdem numero cum Pater eſſentiæ agnoſceret, &, ſi Petrus talem confeſſionem edidit, quòd aliam confeſſionem a priori tum Chriſtus requiſierit, tum Petrus ediderit: non tamen vice verſa rectè concludi poteſt: Si aliam confeſſionem a priori tum Chriſtus requiſivit, tum Petrus edidit, hanc talem omnino fuiſſe, qualem vult Carmelita, quæ Chriſtum per naturam, ipſi cum Patre ab omni æternitate communem, filium Dei declararet. Cùm enim diverſitas confeſſionis unius ab altera multifariam conſiderari, & hoc loco alia atq; alia non unam ob cauſam dici poſſit, quis hanc conſequentiam admiſerit?

miserit? Hæc confessio alia est a priori. Ergo filium Dei per essentiam eandem numero, ab æterno jam ipsi a Patre communicatam, introducit. An posito genere ponitur species? Quid si alio respectu, aliisq; de causis pluribus diversa sit a priori? An quia utraq; humanam Christi naturam respicit, non poterit munus Christi, in cujus cognitione salutaris Christi cognitio sita est, in altera rectiùs & præclariùs describi, quàm in altera? Quid si prior confessio vulgi nomine edita planè erronea sit, quatenus falsò asserit, Christum esse Ioannem Baptistam vel Eliam &c. posterior germana ac verissima: prior saluti quodammodo noxia, multumq; Christo detrahens: posterior ad salutem omninò necessaria, Christiq; summam dignitatem asserens: prior vaga, inconstans, in variasq; opiniones dissecta: posterior definitè quid de Christo sentiendum pronuncians, ac secundum Dei voluntatem & præscriptum determinans? Quid? quòd ex gratia divina Iesum esse filium Dei tacitè sub erroris illius involucro latere, indeq; erui posse credit Carmelita: at in Apostolica confessione idipsum satis apertè continetur. Sed finge, non esse planiorem hanc confessionem quàm præcedentem: quid si sit plenior & minùs mutila atq; manca, cùm sit sufficientissima? Ex vulgi enim sententia nihil ampliùs colligere poterit Carmelita, quàm Christũ ea ratione haberi potuisse pro filio Dei per gratiam, qua ratione dici poterat Ioannes Baptista, aut Elias, aut aliquis ex antiquioribus prophetis. An putat hoc de Christo confiteri etiam secundùm humanam naturam sufficere? Si ita opinatur, ut ex ipsius ratiocinatione non injuriâ quispiam colligat, sciat, nos Dei beneficio plus profecisse in Christi cognitione. Credimus enim, idq; Christi filii Dei appellatione contineri persuasissimum nobis est, uni Christo plus a Deo gratiæ collatum esse, quàm nõ tantùm singulis prophetarum, qui in vulgi opinione exponenda vel recensentur vel intelliguntur, sed quàm omnibus in universum, quotquot ab orbe condito extiterunt, Deo charissimis, Prophetis, Regibus, sacerdotibus, imò quàm ipsis etiam Angelis: ac proinde non simpliciter Christum esse per gratiam filium Dei, sed singularissima, augustissima, perfectissima & omnium divinissima ratione. Hinc fit ut absolutè & simpliciter possit appellari filius Dei viventis, perinde atq; si solus talis esset; atq; hoc loco cum articulo duplici, quorum alter Christi, alter Filii voci in Græco textu adjicitur, Christus filius Dei nuncupetur. Aliis omnibus multa dona Deus dare potuisse videtur, quæ non dedit: at Christo homini nihil non dedit, quod

Matth.11.v.11. dare potuerit. Ioannes Baptista sanè, quo majorem inter natos ex mulieribus non surrexisse, ipse veritatis magister testatus est, non dubitavit affirmare, se esse indignum qui solveret corrigiam calceamenti ipsius: viri, inquam, illius, quem ante se factum dicit, quia prior, hoc est prçstantior ipso fuerit. Quod si ita est, ut revera est, quis non videt vel ex hoc ipso, quanto eminentiori ratione Christus extra omnem naturæ divinæ, qualem adversarii fingunt, considerationem, sit filius Dei, quàm IoannesBaptista; & ex consequenti, alii Ioanne longe inferiores. Nam si Ioannes Prophetis, Ioanne minor in regno cælorum major est, quantum ipse Christus, qui non minor in regno cœlorum, sed maximus est, vel potiùs supra regnum cœlorum, cujus absolutus Dominus tunc quidem futurus erat, nunc verò reipsa est, aliis omnibus antecellere censendus est? Multa hoc loco dici possent, sed vereor ne nimiùm sim prolixus. Quare in pauca orationem contraham. Dico, omnib⁹ præstantissimis Dei cultoribus, & ipso Ioanne Baptista, tanto esse Christum superiorem, quanto est superior absolutus Dominus iis, qui ipsius imperio sunt subjecti. In Christi enim potestate est salus æterna omnium istorum, is eos potestate sua divina sibi a Patre concessa, ob cujus similitudinem præcipuè est filius Dei, a mortuis excitabit, & vitâ æternâ beabit. Qua de causa etiam Dominus patris sui secundùm carnem, Davidis nimirum, appellatur. Faciet autem hoc non secundùm divinam naturam quæ ab æterno extiterit, sed secundùm potestatem, quam a Patre accepit, judicium faciendi, quia filius hominis est. Constituit enim Deus diem, quo justè judicabit mundum, non per filium qui ab æterno sit genitus, sed per virum, quem a mortuis excitavit. Quæ potestas Christi, cùm prçter alia multa insignia, partim superiùs indicata, partim inferiùs enumeranda, cōtineatur illis verbis, quibus Apostolus in sua confessione est usus, quis eam sufficientissimam esse, ac proinde aliam a priori, dubitare audebit? Vbi obsecro scriptum legitur, aut e quo S. S. loco tale quid elici potest: Qui credit Iesum esse Ioannem Baptistam &c. vel ipsi parem, habet vitam æternam? Imò contrarium eruitur e S. codice. Expresse enim scriptum est: Qui credit Iesum esse Christum, ex Deo natus est. Item. Quis est qui vincit mundum &c. Item. Hæc scripta sunt ut credatis, quòd Iesus est Christus &c. & credentes habeatis vitam æternam. Ergo de Iesu, Iesu, inquam, persona humana, cujus hoc est nomen proprium, Iesu illo qui in carne venit, hoc credere & confiteri sufficit ad salutem, etiamsi non comminiscamur aliampersonam vel

Margin references: Ioh.1.v.27,28. — Matth.11.v.11. — Ioh 5.v.27. Act.17.v.31. — 1 Ioh.5.v.1. — ibid.v.5. — Ioh.20.v.31.

naturam in ipso, extra S. literas. Quamvis autem minimè nos lateat, nec Petrum nec alios Apostolos æquè plenè tunc hanc suam confessionem intellexisse, atq; post effusum in eos largissimè ejusdem Christi potestate Spiritum S. (nam & Christus, quem Iudæi crucifixerant, tunc demum *factus est Dominus & Christus*, puta perfectissima ratione, cum a mortuis excitatus regno suo plenè potitus est) tamen cùm pro ratione divinæ revelationis, & illius temporis, tantum ejus intellexerint, quantum tunc satis erat, etiam pro eo tempore sufficiens agnosci debet: licet post Christum glorificatum sensum longè nobiliorem & præstantiorem sit sortita, quem ipse Christus, & ille ipse Apostolus unà cum aliis, nobis non semel satis perspicuè indicavit, & ob oculos posuit. Neq; verò iccirco dubitandum est, etiam pro eo tempore longè augustiori ratione Christum fuisse filium Dei, quàm omnes qui unquam fuêre Deo charissimi, quia nondum reipsa talis fuerit omni ex parte, qualis jam est. Satis enim est, illum partim his omnibus divino decreto necessariò fuisse destinatum, ut non minùs certò de ipso prædicari potuerint, atq; si ea jã re ipsa obtinuisset; partim reipsa talia multa jam habuisse, dum adhuc esset mortalis, quæ ipsum Deo quàm hominibus propiorem & viciniorem reddebant, & in quibus omnes illi vix cum Christo comparari possunt, nedum ei æquiparari debeant. Quin potiùs hinc colligendum est: quòd si Christus adhuc mortalis, omnium quotquot unquam ante & post ipsum nomine filiorum Dei sunt insigniti, præstantissima ratione filius Dei fuit; quanto magis hodie id de ipso credemus, cum mortalitatis exuviis solutus, loco honoratissimo in cælis occupato, Dominus & hæres omnium bonorum Patris sui absolutus evasit, illasq; infinitas myriadas omnium, qui unquam Deo ab orbe condito confisi sunt, & jam per ipsum confidunt, propria, quamvis sibi donata virtute, portis inferni reseratis, cœlestis beatitatis participes efficiet. Hæc est illa vera Christi divinitas, hoc verè divinum Christi munus, quod ipsum verè Christum & filium Dei omnium divinissima ratione efficit. Hoc illud opus a propheta prædictum, quod incredibile videtur contemtoribus gratiæ divinæ. Act. 13. v. 41. Quid? quòd Christus pro ratione ejus temporis, quo hęc confessio a Petro edita est, non tantùm aliis omnibus Dei filiis, qui unquam extiterunt, præstitisse, sed etiam ita filius Dei fuisse dici potest, ut nemo alius præter ipsum filius Dei fuerit, puta talis, qualem oportet esse eum, qui sub N. F. ista appellatione verè sit dignus. Hoc enim Christo demum resuscitato & glorificato Act. 2. v. 36

 atq; Spi-

atq; Spiritu S. ab ipso misso factum est, ut tales inter homines filii Dei esse cœperint, quales in hac mortali vita esse possunt. Quamvis igitur utramq; confessionem genere convenire concederemus, an non specie differre possunt? Sed jam in recensendis tam variis harum confessionum differentiis immorari piget. Quare cùm tot discrimina unius ab altera a nobis ostensa sint, aliaq; hujus generis facilè ostendi, imò a quovis rem altiùs perpendente colligi facilè possint, quàm immeritò ex diversitate confessionis Apostolicæ ab opinione vulgi conjectaverit Adversarius, Christum per eandem numero cum Patre suo naturam filium Dei a Petro asseri, ipse viderit. 5 Sed pergit Carmelita suo more fallacias fallaciis adjungere. Nam ex ratione superiùs examinata, veluti re optimè confecta, concludit: *Ergo revera sentit, non solùm per gratiam, sed etiam per naturam Christum esse filium Dei.* Ita loquitur, ac si certum esset, filium Dei per gratiam esse, & esse filium per naturam, in uno eodemq; subjecto simul consistere posse: cùm tamen hoc tam incertum, imò verò etiam absurdum sit, atq; naturâ Deum esse, & alicujus gratia opus habere, vel ex gratia sua sui ipsius filium esse. Non ausus est apertè inficiari, Christum esse per gratiam filium Dei, hoc enim & verba Petri, & universa S.S. nimis expressè confirmat: interim tamen huic a Spiritu S. testatissimæ veritati struit insidias, dum eum sensum Apostolicæ confessioni affingere non veretur, qui gratuitam Christi filiationem planè subvertit.

Nunc, quemadmodum superiùs facere instituimus, argumenta quædam ex loco ab adversario allato ducamus, & telum, quo adversum nos utebatur, in ipsum retorqueamus. Sic igitur argumentamur ex confessione Petri adversus Carmelitam.

1. Christus ille Dei, id est, unctus a Deo & Rex singularissimus populi divini constitutus, nulla ratione potest esse ille ipse Deus, quoad naturam, cujus est unctus.

Atqui filius Dei viventis est Christus Dei &c.

Ergo filius Dei viventis, nulla ratione potest esse ille ipse Deus quoad essentiam, cujus est unctus.

Major est per se evidens. Nam non tantùm alium necesse est esse eum qui ungit, ab eo quem ungit, & qui sine alterius unctione Rex evadere non potest: sed etiam ungentem, quaten⁹ ungit, superiorem & præstantiorem esse eo, qui ungitur, omnino necesse est: multò verò magis, si is, a quo unctio proficiscitur, propria voluntate & aucto-

ritate id faciat, quemadmodum Deum altissimum, qui superiorem agnoscit neminem, fecisse constat.

2. Qui est filius Dei viventis, is ille ipse Deus vivens esse nequit. Alioquin sui ipsius esset filius.

Atqui Christus est filius Dei viventis.

Ergo ille ipse Deus vivens esse nequit: ac proinde non per naturam, sed per gratiam est filius Dei viventis.

3. Quo significatu Iesus dicitur Christus in confessione Apostolica, eodem etiam est filius Dei viventis.

Atqui per gratiam non per naturam divinam est Christus. Ergo & filius Dei viventis non per naturam sed per gratiam sit necesse est.

Propositionem veram esse deprehendet, quisquis præjudicata
opinione sequestrata locum Marci & Lucæ, in quo hæc ipsa confessio
describitur, inspicere, & cum nostro Matthæo conferre voluerit.
Nam Marcus nihil aliud Petrum respondisse narrat, quàm, *Tu es Chri-* cap.9.v.20.
stus: Lucas verò illum etiam exprimit, ad quem relatione habita Ie- cap.8 v.29.
sus appellatur Christus. Ait enim Petrum respondisse: *Tu es ille Christus Dei*. Non est quidem novum, ab uno Evangelista id reticeri, quod ab altero narratur: sed in descriptione tam augustæ & præclaræ atq; salutiferæ confessionis, prætermissurum fuisse Spiritum S. apud utrumq; Evangelistam dimidiam verborum partem, non est verisimile, si filium Dei viventis esse, aliud quidpiam esset, quàm esse Christum. Sed & alibi hæc pro eodem accipi facilè concedet, quisquis hos locos paulo attentiùs expenderit. Matth. 26.v.63. & Mar.14.v.61. & Luc.22.v.67.&c. Ioh.1.v.49. 1 Ioh.4.v.2,3. & 1. Ioh.5.v.1. & 5. In quibus voces filii Dei non ad aliquid addendum, quod Christi appellatio per se non complectatur, sed ad magis declarandam illius, qui Christus sive Rex Israëlis appellatur, nempè ille singularis, populo divino promissus, præstantiã adhibitas esse, facilè intelligi potest. Porrò Assumtionẽ ipsa natura vocis *Christi*, id est, uncti, & usus S. scripturæ perpetuus, & primũ numero nostrum ex hoc loco depromptũ argumentum manifestò confirmat. Nunquam enim in S. litteris ea voce essentiam vel naturam, sed semper dignitatem & præstantiam muneris, præsertim verò Regii, ex divina gratia alicui concessi, designari, manifestius est quàm ut demonstrari debeat. Quin etiam alicubi medium illud, per quod Iesus est a Deo unctus, exprimitur disertè, ut Act.10.v.38. & Hebr.1.v.9.

Perinde igitur confessio Apostolica accipienda, atq; si expressè dictum

dictum fuisset: Nos confitemur, te per gratiam Dei singularissimè esse unctum & constitutum Regem populi divini sanctissimum, antiquitus per prophetas promissum, illum, inquam, omnium charissimum & prestantissimum, divinis muneribus cumulatum Dei filium. Itaq; dum Adversarius suum errorem totis viribus stabilire conatur, locum ejusmodi contra nos urget, qui vel maximè nostram sententiam propugnare, ipsius verò opinionem facillimè expugnare potest. Nam cùm certum sit vocem Christi, non tantùm posse ei accommodari, qui non sit naturâ Deus, sed etiam debere: quemadmodum & voces *filii Dei viventis*; an non videt, suæ causæ hanc confessionem planè inimicam esse? Posse quidem eum appellari Christum, qui quoad naturam nihil aliud sit quàm homo, ipsa vocis ratio, & exempla plurima S. S. evincunt. Non posse verò hoc nomine illum insigniri, qui naturâ Deus sit, argumento est, quòd alium esse eum, qui Christus est, alium eum, cujus Christus esse dicitur, ipsa sana suadeat imò cogat ratio. Iam verò locus Oseæ, filios Dei viventis eos, quibus gratia divina peculiaris contigit, appellans, jure eum etiam, qui ex gratia divina est filius Dei, ita nuncupari posse, perspicuè docet. Debere autem hoc loco de gratuita filiatione, quanquam longè nobilissima, in Christo hæc verba explicari, præter alia multa id docet, quòd idem esse filium Dei viventis, atq; Christum, suprà sit a nobis clarè demonstratum.

Oseæ. 1. 10. Rom. 9. 26.

Sed pergit Carmelita. *S. Paulus innumeris in locis hoc testatur, &c.* Equidem fateor in epistolis D. Pauli complura testimonia extare veræ divinitatis Christi, nullum tamen unquam ex omnibus proferre posse Carmelitam, quod Christum ejusdem numero essentiæ cum Patre esse probet. Expendamus locum, quem ex c. 9. Rō. attulit Carmel. Si enim hunc, quem potissimùm sibi deligendū ex innumeris putavit Carmelita ad suam opinionem tutandam, non modò pro ipso non facere, sed potiùs adversum ipsum dirigi posse ostendero, quid de aliis locis Pauli statuendum sit, facilè est conjectare. Verba Pauli sunt hæc: *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Quibus productis Adversarius duo molitur. 1. Suam de Christi essentia opinionem confirmare conatur. 2. Nostram de vera ipsius divinitate sententiam convellere satagit. Omitto autem in præsentia ea, quæ sola ad inanem conjecturam Adversarii debilitandam sufficere videri possent: veluti quòd nec vox *Dei* in omnibus vetustis codicibus hoc loco reperiatur, nec o-

omnino necesse sit, nisi alioqui gravis causa subsit, verba illa, *qui est super omnia &c.* referri ad Christum proximè nominatum; cùm possit dari talis horum verborum interpunctio, ut ad Deum tantùm absolutè nominatum pertineant: & deniq; pro voce *omnia* rectissimè possit habita ratione textus Græci reponi vox *omnes*, quæ ad homines tantùm referri solet, simpliciter prolata. Omitto, inquam, hæc. Cùm enim nihil nobis sit Christi majestate & divinitate vera antiquius, tam præclara & insignia Spiritus S. verba, quæ ad Christi dignitatem veram describendam commodissimè applicari possunt, ad Christum libenter referimus. Admisso igitur testimonio Apostoli, tanquam si expresse & extra omnem controversiam Christi divinitas in eo describatur, dico primùm, in verbis Pauli nihil esse, quod citra ullam divinæ naturæ in Christo commentitiam considerationem de homine illo e Spiritu S concepto, & ex Maria virgine nato, peregregiè prædicari nequeat. Nam si Christo homini data est secundùm humanam naturam omnis potestas in cœlo & in terra, quod ipsi Adversarii diffiteri non possunt; si pater dedit ei potestatem judicium faciendi, quia filius hominis est; si vir ille a Deo resuscitatus, constitutus est judex totius orbis terrarum; si ideo mortuus est, & resurrexit, & revixit, (secundùm humanam procul dubio naturam: hoc enim ad divinam referri nequit) ut & vivis & mortuis dominetur; si ei omnia sunt subjecta, excepto eo a quo sunt subjecta; si aliquando subjicietur ei, qui ipsi omnia subdidit, ut Deus sit omnia in omnibus; cur, obsecro, dubitemus vel pertimescamus asserere, hominem illum Iesum Nazarenum esse revera & propriè Deum super omnia benedictum in secula? non quia ex sua natura & ex seipso talis sit: sed quatenus ad supereminentem potestatem virtutis suæ demonstrandam, Deus ille summus cum Christo tantam potestatem gratuitò communicavit, posteaquam ipsum a mortuis excitasset? Sed non tantùm verba Apostoli per se considerata adversarii causam non confirmant, verùm etiam id, quod ex iis colligit adversarius, parum ei prodest, imò non parum obest. Nam si nihil ampliùs colligatur ex verbis Pauli, quàm quòd Christus sit verus Deus & æqualis Patri, ut concludit noster Carmelita, quid tandem hinc roboris ipsius sententiæ accedet? Quòd si quam vim in vocibus *veri Dei*, & *Deo æqualis* ponat, quæro ex Carmelita, an falsus vel imaginarius sit ille Deus, qui secundùm humanam naturam tantam potestatem, quę verè divina est, a Patre super omnia certo tempore obtinuit? annon æqualis Patri, qui ex dono patris tantam su-

tam su-

tam ſuper omnia poteſtatem conſequutus eſt,quantam Pater a ſeipſo habet?Imò quî poterit eſſe Chriſtus ille ipſe Deus verus,cui eſt æqualis? Annon hoc potiùs eſt divinitatem quandam in Chriſto comminiſci,ut veram ipſi & propriam detrahas,ſi ita eum verum Deum appelles,ut æqualem eſſe Deo patri negare te,velis nolis,oporteat?Nũquam enim perſonæ & naturæ in Deo diſtinctio contra lumen naturalis rationis excogitata, nec hactenus a quoquam adverſariorũ noſtrorum niſi auctoritate multorum errantium comprobata, imò a noſtris ſæpius ſolidè confutata & convulſa, tantum proficiet, ut is, qui alteri æqualis eſt,ſit idem numero cum eo,cui eſt æqualis.Imò,niſi ratio diſputationis, cui jam inſerviendum eſt, nos hujusmodi loquẽdi modis uti quodammodo cogeret, & niſi talia opinionum portenta in Chriſtianorum ſcholas jam pridem invecta, canicie quadam ſpecioſa & ornata viderentur,nihil abſurdius,& rationem primo ſtatim impetu magis feriens,a quoquam dici poſſet,quàm vel æqualitatem eſſe inter eos,qui ſunt iidem numero,vel duas perſonas,quæ ſibi æquales dicantur,eſſe unum eundemq́;numero Deum.Quare irritus eſt hic adverſarii conatus. nam nec talia ſunt verba Apoſtoli, ex quibus id colligi poſſit, quod vult: nec ipſius collectio id continet,quod quæritur; & quod majus eſt, ei quod concludendum erat, apertè refragatur.

Sed jam noſtram ſententiam oppugnat, dum ait: *Ille enim, qui eſt creatus,qui cœpit eſſe ex tempore,qui habet dependentiam,ac imperfectionem creaturæ, qualem iſti dicunt eſſe Chriſtum,non eſt Deus ſuper omnia.* Atqui (ſubſumendum eſt) Chriſtus eſt Deus ſuper omnia Ergo non rectè dicunt illi Chriſtum eſſe creatum. Majoris probationem neſcio cur omiſerit Carmelita. Nam ſimpliciter acceptam admitti non poſſe, vix fieri poteſt quin animadverterit: nec enim magis nos primo intuitu impetit, quàm ipſum Carmelitam, ut poſtea videbimus.Nunc illud primò notandum occurrit,nunquam (quod ſciam) noſtros homines ita ſimpliciter loqui, quemadmodum nos dicentes fingit Carmelita,dum ait: *qualem iſti dicunt eſſe Chriſtum*, ut,ſi poſſit,majorem invidiam nobis noſtræq́; ſententiæ conciliet; & ſi tamen hoc ex noſtra ſententia colligat Carmelita, præſtiterat,niſallor, id ſuam collectionem appellare,quàm confidenter affirmare, nos talem Chriſtum dicere; vel eo quo par erat candore, quædam a nobis dici,quædam non: & deniq́;non nos ſolùm, ſed ſe ſuosq́; unà nobiscum idem dicere & ſentire de Chriſto; niſi fortè negare velit, Chri-

ſtum eſſe

stum esse verum hominem. Imò si Doctor Smiglecius pro germano Pontificiæ scholæ discipulo agnoscendus est, ultimum ex his, quod maximè odiosum videtur, nempe Christum habere imperfectionem creaturæ, magis expressè & longè ignobiliori ac humiliori sensu, non sine magna Christi nostræq; salutis injuria, ex sua sententia consequi concedat necesse est. Si enim imperfectionem in Christo arguit, ut sentit Carmelita, quòd sit creatura; quanto magis id arguet, quòd sit imperfecta creatura, aliis omnibus in suo genere imperfectior. Smiglecius enim in lib. quem inscripsit: *Verbum caro factum*, cap. 25. expressè scribit: *Non est natura humana in Verbo ita perfecta, ut omnem suam naturalem perfectionem habeat.* Et sanè necesse est, ut ipse Carmelita, quocunq; tandem se vertat, fateatur, si Christus naturã quidem humanam habeat, sed persona humana non sit, nec natura humana Christi per se subsistat, ut aliorum hominum, sed per aliud, longè plus imperfectionis in Christo esse, quatenus est creatura, quàm in alio quovis homine.

Iam si simpliciter verum esse putat Carmelita, eum non esse Deum super omnia, qui est creatus &c. cùm ille negare simpliciter non possit, Christum esse creaturam &c. ut jam ostendimus: adversus seipsum, & adversus verba Pauli, quæ contra nos urgenda sibi sumserat, Christum non esse Deum super omnia concludat necesse est. Quòd si dixerit, non esse simpliciter accipiendam propositionem suam, sed secundùm quid, & Christum quidem dici creatum, sed secundùm humanam naturam, Deum verò super omnia secundùm divinam naturam: & perinde accipiendam esse suam enunciationem, atq; si expressè additum ab ipso fuisset, non est Deus super omnia, nisi habeat alteram naturam præter humanam; hoc quoq; falsum esse dicimus. siquidem etiam is, qui creatus est &c, Deus super omnia esse potest, etiamsi divinam naturam non habeat, si illi divinum super omnia imperium a Deo summo concedatur. Quod Christo homini contigisse, abunde testantur sacræ literæ. Qua ratione autem Paulus Christum dixerit esse Deum super omnia, id ipse non tantùm alibi apertè, sed etiam hoc loco non admodum obscurè explicat, aliiq; S. scriptores Eph.1.v.20,21,22.
attestantur, nempe de eo, cui ab alio quopiam hæc omnia sunt subje- 1 Cor.15.v.27,28.
cta, & qui aliquando illi subjicietur, qui ei subjecit omnia, quem ab hac subjectione excipi, manifestum putat esse Paulus: qui habet suum 1 Cor.11.v.3.
caput, atq; Deum suum; ut qui agnoscendus est quidem Dominus, cui Ioh. 20.v 17.
omne genu flectere se debeat, sed ad gloriam Dei patris: & qui nihil Eph.1.v.17. Apoc.3.v.12.

Philipp. 10, 11. Matth. 11. v. 27. c. 28. v. 18. Ioh. 3. v. 35. Ioh. 5. v. 19.

a seipso habeat, sed omnia ipsi sint data, nihil possit facere a seipso, prout Christus ipse apertè loquitur. Quæ omnia nostræ de Christo sententiæ, & verborum Pauli explicationi plurimùm favent, adversarii verò sententiam prorsus evertunt. Illud, antequam ulteriùs progrediar, non arbitror prætermittendum: Imperfectionem creaturæ, ut Carmelita loquitur, Christo in cœlis regnanti, non nisi valde ὁμωνύμως tribui posse, quatenus videlicet natura ipsius humana nō patitur, ut omnimodam perfectionem, absolutè & per omnia divinæ naturæ parem habeat. Nihil autem mirum est, divinitati Christi eam perfectionem deesse, quâ positâ humana natura tollatur necesse est. Annon satis est, Christum ratione suæ essentiæ & divinæ potestatis adeo perfectum esse, ut nihil planè ei accedere possit ulla ratione, nisi negare velimus ipsum esse verum hominem? Annon Spiritus S. apertè testatur, Christum post resurrectionē esse consummatum &c. Hebr. 5. v. 9. Hebr. 7. v. 28? Quæ verba omnem quidem veram imperfectionem a Christo planè removent, sed nihilominus nullam perfectionem præter eam, quæ rei creatæ competat, Christo tribuunt, imò increatam illam in Christo excogitatam planè evertunt. Nam offerre preces ei, qui potest liberare a morte, & post consummationem demùm fieri causam salutis, nempè præstantissima ratione, & constitui sacerdotem vel filium in æternum perfectum, quod in locis citatis de Christo affirmatur, & esse illum rerum omnium creatorem, cui preces sunt oblatæ, qui Christum perfecit, & sacerdotem ac filium suum constituit, pugnant invicem seq; planè perimunt.

Superest ut, postquā testimonio Apostoli neq; adversariorū sententiam sublevari, neq; nostram elevari aut premi posse ostendimus, eodem adversus ipsos utamur, & quemadmodum polliciti sumus, errorem ipsorum redarguamus. Ad quod efficiendum hujusmodi argumento uti licebit:

Christus ita est Deus super omnia, ut secundùm carnem sit ex patribus Iudæorum oriundus. Ergo non naturâ sed gratiâ habet divinitatem super omnia. Antecedens est Pauli Apostoli. Consequentia probatur: quia is, qui ex patribus Iudæorum secundùm carnem oriundus est, ut persona humana sit necesse est. Est enim substantia individua intelligens, quatenus est homo. Qui autem persona humana est, quî Deus naturâ esse potest? nisi duas personas in unum subjectū coire velis. Vnde etiam apparet, quàm immeritò & parum circumspectè verba ista *secundùm carnem*, ita interpretentur adversarii, quasi

oppone-

opponerentur divinæ in Christo naturæ: quamvis alioquin non ignorent, vel certè ignorare non debeant, spiritui, qui aliquid aliud quàm divinam naturam significet, carnem commodissimè opponi posse, & in sacris lit: opponi solere. vide paulò superiùs 3. versic: hujus ejusdem c. & c. 1. hujus Epist. v. 3. qui cum 4. v. collatus elegantissimè & clarissimè hanc rem illustrat. & 1. Cor. 10. v. 18. Gal 4. v. 23, 29.

Sequitur in Adversarii adversus nos directis ratiocinationibus, argumentum ex loco 1. Ioh. 5. depromtum. Cui hæc verba præmittit: *S. Ioannes evidenter hoc, ac sæpissimè docet, sed relicto Evangelio, & Apocalypsi, sumo primæ ejus Epistolæ caput* 1. (ita enim habere Carmel. pro 5. jam antè indicavimus) Ad quæ breviter respondeo: Ioannem quidem in Evangelio & Apocalypsi Christi divinitatem sæpissimè & evidentissimè profiteri: sed ejus, qui caro fuerit, & qui a Patre fuerit missus, secundùm cujus præceptum omnia fecerit &c. qui a seipso nihil facere potuerit, qui sit Agnus ille occisus &c. Quare nō est hæc divinitas in alium quempiam transferenda, qui nec caro unquam fuit, nec a quoquam mitti, aut alicujus superioris imperio parere, nec Agnus esse, nec occidi unquam potuit, & omnia a seipso semper fecit. Mox subjicit verba Ioannis ex ultimo prioris Epistolæ capite, quemadmodum habentur in vulgata editione Latina, (nam Græca aliter habet) *ut simus in vero filio ejus, hic est verus Deus, & vita æterna.* Ex quibus infert: *Ergo revera filius Dei, est verus Deus, ejusdem naturæ cum Patre: nam aliàs non poßet esse vita æterna, nec verus, sed fictus Deus.* Respondeo: filium Dei esse verum Deum, non tantùm concedimus, sed etiam, ubi opus est, urgemus. Veruntamen nihil est necesse ut credamus, a Ioanne hoc loco filium Dei appellari verum Deum. Nam non tantùm adversarius nihil affert, aut afferre potest, quo id confirmet, sed etiam nobis diversum docere admodum est proclive. Posse enim verba illa: *hic est verus Deus* &c. ad Christi Patrem referri, hinc apparet, quòd paulo antè mentio facta sit Dei, qui habeat filium, quem ut cognoscamus, dedit nobis mentem ipse filius, *& sumus*, inquit, secundùm lectionem Græcam, *in illo vero, in filio*, hoc est, per filium, *ejus*, hoc est, Patris Iesu Christi. *Hic*, (cujus filius est Iesus Christus, & de quo præcipuè jam ago) *est ille verus Deus*. Quamvis enim is non ita sit propinquus pronomini *hic*, ut Christus postremò nominatus, hoc tamen non potest prohibere, quominus pronomen illud ad Patrem pertineat. Neq; enim semper pronomina relativa ad proximè antecedentia, verùm sæpenumerò ad id, de

Ioh. 1. v. 14. cap: 5. v. 19, 30. cap. 12. v. 49, 50. Apoc. 5. 12.

quo præcipuè ſermo eſt, referuntur, ut patet ex his locis. Act. 7. v. 19, 20. Act. 10. v. 6. & 2. Ioann. v. 7. Vbi pronomen *hic* non ad proximè præcedentes perſonas, ſed ad remotiores refertur. Imò & pronomen *qui*, cujus potiſſimùm videtur eſſe proprium, cum iis conjungi nominibus, eaq; referre, quæ proxima ſunt, aliquando ad remotiora pertinere docent vel hi loci. 2 Theſſ. 2. v. 9. & Hebr. 5. v. 7. Apparet igitur magna imbecillitas hujus argumenti vel ex eo ſolo, quòd pronomen *hic* poſſit ad alium quempiam, quàm ad Chriſtum referri. Sed quid de ipſo fiet, ſi id, quod fieri poſſe hactenus tantùm docuimus, etiam debere fieri oſtendamus? Et ſanè ſi locus ipſe non patitur ad Chriſtum hoc pronomen referri, ad Chriſti Patrem referre, neceſſitas cogit; ſi modò particula *Hic* certam aliquam perſonam deſignat, ut Carmelita pro conceſſo ſumit, & non ad totum illud, quod præceſſit, eſt referenda, de quo poſtea agemus. Quomodo verò locus illud ferat, qui non ſimpliciter de vero Deo, ſed de illo vero Deo (additur enim in Græco textu articulus) apertè loquitur, hoc eſt, non de eo tantùm, qui veram divinitatem habet, ſed qui eam habet perfectiſſima & omnium excellentiſſima ratione a ſeipſo. Atqui ille verus Deus eſt ſolus Pater, teſte Chriſto, Ioh. 17. v. 3. qui etiam ibidem ſe tanquam miſſum a mittente diſtinguit. Ergo niſi velimus, diſcipulum chariſſimum Chriſti, Magiſtro ſapientiæ & veritatis apertè contradicere voluiſſe, non Chriſtum, qui ſuam veram divinitatem Patri acceptam refert, ſed Patrem, cui naturalis eſt, his verbis deſcribi, concludamus neceſſe eſt. Taceo, quòd verus ille Deus, ſit ille ipſe procul dubio hoc loco, cujus filius nobis dedit mentem &c. Atqui non niſi Patris filius nobis dedit mentem &c. Ergo non niſi Pater Domini Ieſu hîc ille verus Deus appellatur. Deniq; Chriſtum ipſum per ſe idolis opponi, vix unquam invenias: at Deum, cujus abſoluta mentione Patrem plerumq; intelligũt ipſi adverſarii, non rarò; vid. Act. 14. v. 14. & 17. v. 24. uſq; ad 30. 1. Cor. 8. v. 4. 2. Cor. 6. v. 16. Et ne quis magis contentioſus, quàm S. literarum conſvetudinis peritus dubitet, an de Patre his in locis ſermo habeatur: 1. Theſſ. 1. v. 9. & 10, Paulus diſertè exprimit, ſe de tali Deo vero & vivo, idolis oppoſito, loqui, cujus filium expectamus de cœlo. Quanquam in verbis Chriſti ſuprà commemoratis Ioann. 17. v. 3. in quibus verum Deum idolis opponi urgent adverſarii, quod nec nos inficiamur, licet non ſolis opponi credamus, Patrem appellari illum verum Deum, & quidem ſolum, ſi modò quis conſultò cæcutire nolit, facilè animadvertet. Hinc igitur non tantùm admodum

dum probabile efficitur, sed omninò necessarium, ob alias rationes, huic uni adjunctas, Deum patrem, qui idolis opponitur, illum verum Deum hoc loco appellari. Quæ verò coloris loco addit adversarius, *Nam aliàs non posset &c.* in iis non tam nobis, quàm Christo facit injuriam, dum audet ipsum non tantùm verum Deum & vitam æternam esse negare, sed & fictum Deum appellare, si non sit idem Deus qui Pater est. Quasi verò ficta sint ea omnia, quæ de Christo in cœlum evecto, ad dexteram Dei collocato, potestate in cœlo & terra a Patre accepta, narrantur: & quasi omnes Dii, ne iis quidem, ad quos Ioh.10.v.34,35.
sermo Dei factus est, & in quorum medio Deus stetit, filiosq; suos ap- Psal.82.v.1,6.
pellavit, sint ficti: aut quasi vita æterna is etiam appellari nequeat, qui eam ejusq; consequendi viã non tantùm primus annunciavit, confirmavit, in sua persona ostendit, sed etiam omnibus, quotquot ex ipsius præscripto cognoverunt illum solum verum Deũ, qui Pater est, & quẽ ipse misit Iesum Christum, propria virtute, sibi tamen a Patre concessa, donaturus est: sicut enim Pater excitat mortuos & vivificat, ita & Ioh 5. v. 21.
filius quos vult vivificat. Quanquam certum est, tanto præstantiori ratione Patrem vitam æternam appellari posse, quàm Christum, quanto major est is, qui eam non tantùm a seipso & sine principio habet, sed etiam primus est ipsius fons & origo, exq; cujus beneficio eam Christus ipse, unà cum potestate eandem cui velit largiendi, consequutus est: quàm is, qui eam ab alio obtinuit, estq; ipsius causa secundaria, & immortalitatem, unà cum potestate eam donandi, benignitati Patris sui acceptam ferat oportet. Vnde meritò fallaciæ a dicto secundum quid ad dictum simpliciter Carmelita accusari potest. Quia enim eo modo, quo Pater, Christus verus Deus & vita æterna ex sententia nostra appellari non potest, hinc absolutè concludit, neq; vitam æternam, neq; verum Deum Christum ex eadem sententia nostra esse. Quanquam præter hanc fallaciam aliud quippiam hîc desideres, dum conjunctim concludit, Christum non posse esse verum Deum & vitam æternam, nisi sit ejusdem naturæ cum Patre. Nam nõ est necesse, ut, si negetur Christum hoc loco appellari illum verum Deum, illicò consequatur, non esse etiam, nec appellari vitam æternam: cùm fieri possit, ut prior pars istius clausulæ ad Patrem, posterior ad Filium referatur. Imò cùm valde verisimile sit, hujus loci eundem esse sensum, qui est Ioh. 17. v. 3. perinde videntur Ioannis verba accipienda, ac si dixisset: Hîc habetis verum Deum & vitam æternam. Verum quidem Deum, quia ecce habetis Christi Patrem, qui est ille

ſolus verus Deus,ut ipſe Chriſtus dixit: Vitam autem æternam, quia ecce ſimul cum Chriſti Patre ipſum Chriſtum habetis. Horum enim duorum cognitione vita æterna continetur, quemadmodum ipſe Chriſtus affirmavit: ita ut pronomen *hic*, propter verba *verus Deus* maſculini generis,uſurpata,eandem vim habeat, atq; ſi *hoc*,in neutro genere dictum fuiſſet, ita ut referatur ad totum illud,quod proximè præceſſit: quemadmodum etiam in loco Ioh.17. v.3. pronomen *hæc* fæminini generis, propter *vitam æternam*,quæ feminini eſt generis, uſurpatum, procul dubio idem valet, atq; ſi *hoc* dictum fuiſſet. ſimilem hujus particulæ uſum deprehendes Matth. 7. v.12. Poſſemus hîc ſimiliter, quemadmodum ſuperiùs fecimus, locum hunc adverſus nos immeritò detortum,in adverſarium meritò retorquere:ſed cùm ea,quæ ex ipſo ad ſententiam ejus infirmandam dicenda forent, partim in ſuperiorum argumentorum examinatione dicta ſint, partim in hujus teſtimonii conſideratione modò allata, partim etiam per ſe facilè colligi poſſint ab unoquoq; veritatis cultore; nolumus eadem repetere, ne aut lectoris otio & benevolentia abuti, aut etiam memoriæ & ingenio ipſius quodammodo videamur diffidere; niſi fortaſſe hoc unicum argumentum occaſione hujus loci opinioni adverſariorum commodè opponi poſſe videatur:

Chriſtus,quamvis veram divinitatem habeat,nuſquam expreſsè in S. literis appellatur ille verus Deus,nec alio nomine quod tantundem valeat. Ergo non eſt ejuſdem eſſentiæ cum Patre. Antecedens probatur: Quia ſi in loco quem jam examinavimus, qui tanquam omnium clariſſimus, & ad hanc rem demonſtrandam efficaciſſimus exiſtimatur & producitur ab adverſariis, nihil tale apparet; quid de aliis locis,qui idem continere videantur,ſentiendum ſit,facilè eſt conjectare. Neq; enim credibile eſt, adverſarios tam ſedulos & diligentes erroris ſui defenſores, omittere potiora & clariora loca, & interim minùs clara minusq; valida ad id, quod volunt,obtinendum urgere. Conſequentiæ ratio eſt: Quia ſi Deus Pater, cujus eſſentiam divinam eſſe,& principio & fine carere,& a ſeipſa omnia habere,nemo unquam vel leviter Dei cognitione imbutus dubitavit, toties tamq; evidenter ille verus Deus appellatur; vix ac ne vix quidem credibile videtur, Spiritum S. de Chriſto id taciturum, cujus eſſentiam humanam eſſe, principium certum habuiſſe,nihilq; a ſeipſa habere aut facere poſſe,toties apertiſſimè teſtatur, ac proinde maximam dubitandi occaſionem præbet,an ſit ille unus Deus. unde factum eſt, ut olim quidem

quidem tot hominum myriades (orbem enim ingemuisse, & se Arrianum factum miratum esse, non sine causa tradit Hjeronymus) dubitaverunt, hodie verò tot millia etiamnum dubitent, an ita se res habeat. Id verò tanto fortiùs urgendum est, & a S. scriptoribus requirendum, quanto pertinaciùs contendunt Adversarii, sententiam suam de filio Dei non tantùm verissimam esse, & ad Dei gloriam plurimùm pertinere, sed etiam planè ad salutem consequendam necessariam esse. Adde, quòd unam esse personam, in una divina essentia, quæ sit ille verus Deus, rationi admodum consentaneum sit, nec quidquam difficultatis habeat, quod fidem nostram retardare aut implicare possit. At verò aliam quandam personam, a priori distinctam, ejusdem esse numero essentiæ cùm illa, & illum ipsum verum Deum, a quo est genita, contradictionem implicare, & ad credendum non tam difficile, quàm planè impossibile videtur. Quî igitur factum esset, ut illud, quod facilimum, & sponte in animum nostrum influens est, tam crebrò, tam perspicuè, tam diligenter ingeminaretur: illud verò quod est difficilimũ, & quod sana ratio lumenq; sensus cõmunis admittere renuit, ne semel quidem apertè expressum sit a Spiritu S. in sacris literis: ab Athanasio autem aliisq;, clarissimis verbis sit explicatum; quos sanè Apostolis omnibus, quorum scripta habemus, hac in parte vel diligentiores, ac circumspectiores fuisse, vel majorem salutis nostræ curam habuisse, hominibus cordatis haud facilè persuaseris.

Sed jam ad alia transeamus. Testimoniis hactenus examinatis, subjungit Carmelita verba D. Thomæ ex Ioh. cap. 20. v. 28. *Dominus meus & Deus meus*. Et addit: *Vbi notandum:* &c. At nos non observationibus sed probationibus opus habemus. *Non dubitavit*, inquit, *Sanctus iste, quòd Christus esset filius Dei per gratiam, sed per naturam*. Etiamsi concedatur Carmelitæ, non dubitasse Thomam, Christum fuisse Dei filium per gratiam, accepta voce filii Dei in communiori significatione, qua etiam alii viri sancti filii Dei dicuntur: tamen non consequitur, Thomam dubitasse, Christum esse filium Dei per naturam; cùm dubitare potuerit, de illa perfectissima Christi filiatione per gratiam, quæ Christo soli competit, eiq; est propria. Vnde ex hac confessione, *Dominus meus & Deus meus*, non posse colligere Carmelitam, Thomam credidisse, Christum esse filium Dei per naturam, perspicuum est. Quòd si de illa perfectissima Christi filiatione per gratiam non dubitasse Thomam asserat Carmelita, hoc illi minimè concedimus. Quibus addi debet, quòd ex historia Evangelistæ patet,

Thomam

Thomam non de eo, an Christus esset filius Dei, sed an resurrexerit à mortuis, dubitasse. Quòd si consequenter dubitasse asseverare velit, eum esse filiũ Dei, quòd dubitarit de ipsius resurrectione; hoc ipsum argumento erit, Thomam de perfectissima illa Christi filiatione dubitasse, cùm ejus filiationis in resurrectione Christi vim magna ex parte sitam esse sacræ doceant literæ, ut nos suprà jam ostendimus. Sed pergit Carmelita loco rationum notas nobis obtrudere. Tanquam enim illud, quod ab initio dixit, principium quoddam esset, consectarium quoddam ex eo, nimis liberè & audacter derivat, asserens: & *ideo non credebat*, &c. Quasi verò jam constet, Thomam id credere debuisse vel potuisse, nedum postea reipsa credidisse, quod Carmelita nõ sine petitione principii sumit pro concesso. Quod verò subnectit, solius divinæ virtutis esse proprium, seipsum resuscitare: in eo pro concesso sumit, id quod falsissimum est, posse fieri, ut quis seipsum a mortuis resuscitet. Atqui seipsum excitare a mortuis, adeò manifestam contradictionem involvit, ut mirum sit, viros alioquin perspicaces id non animadvertere. Etenim suppositum illud, quod seipsum resuscitat propria virtute, revera vivit. Quod autem mortuum est, non vivit, neq; solùm seipsum excitare, quo nihil difficilius cogitari potest, sed ne minimam quidem actionem, quę viventis sit propria, exercere potest. Perinde igitur est absurdum dicere, Deum seipsum propria virtute propriè loquendo excitasse ex mortuis, atq; dicere, Deum posse mentiri. Hinc fit, ut adversarii, cùm nulla legitima ratione vim hujus absurdi declinare possint, cogantur ad alterum confugere, quod non minùs atq; prius est incertum ac controversum: imò contradictionem similiter implicat, ex duabus naturis unam Christi personam coaluisse, contra naturalis rationis lumen affirmare coguntur, & ita unam tantùm rem duas formas essentiales habere, seu duas res diversas esse statuere, contra rei naturam, & omniũ philosophorum rectè sentientium sententiam, qui uni rei unam tantùm actu formam essentialem tribuendam esse docuerunt. Sed quid si admissis etiam duabus istis in Christo naturis, irrito conatu nihilominus seipsos macerant. Nam quemadmodum naturam humanam per se consideratam mori non posse, ita nec resurgere certum est, atq; ita, si Christus verè resurrexit, ut quidem omnes Christiani confitentur, personam ipsius resurrexisse necesse est: quæ cùm esset mortua, quî seipsam propria virtute a mortuis excitavit? Vnde aut duæ personæ contra omnem rationem & contra ipsorum Adversario-

versariorum decreta in uno Christo inducendæ; aut fatendum, non sua ipsius virtute Christum revixisse, ut ipsi contendunt, sed ab alia quadam persona, nempè divina, quam S. scriptura expressè nominat Patrem Iesu Christi, excitatum esse. Agnoscimus igitur læti & ex animo credimus, confiteri Thomam apertè, Christum esse Dominum suum & Deum suum, & ita coram Christo omnibusq; Apostolis manifestè fateri, Christum esse verum Dei filium: sed quod ipsum confiteri fingit Carmelita, Christum divinam naturam habere, cujus virtute seipsum a mortuis resuscitaverit, nondum videmus quomodo probare possit Carmelita. Iam si quis quærat, qua ratione Christum confiteri potuerit Dominum suum & Deum suum Apostolus; quamvis nihil necesse sit nos mentem ipsius explicare, (non enim jam docentium sed respondentium munere fungimur) tamen breviter dicimus id quod sentimus: Thomam ex comperta Christi resurrectione illum veracissimum esse conclusisse, ideoq; Christum Dei, vivorum & mortuorum judicem, vitæq; æternæ datorem ab ipso Deo cōstitutum. Nam talem se esse ipse professus fuerat. Vnde jure optimo hominem illum resuscitatum, non modò Dominum suum, sed etiam divinum Dominum Thomas agnovit, id est, sibi ab illo uno Deo, Patre ipsius, regem datum, a quo æterna salus sibi expectanda foret, quemq; divino cultu afficere deberet. Quo sensu nos etiam Christum esse Dominum & Deum nostrum agnoscimus & gloriamur, & a Iudæis & Turcis hoc differimus, quòd nos unà cum illo uno Deo Iesum illum, qui fuit crucifixus, factum a Deo Dominum & Christum, esse Dominum & Deum nostrum, secundùm expressissimam ipsius voluntatem confiteamur. Sed quærit novum subsidium Carmelita in illis verbis Christi ad Thomam: *Quia vidisti me Thoma, credidisti &c. Viderat planè &c.* Sed quodnam quæso vestigium apparet, in verbis Christi agi de fide, quam ipse somniat: & verbum credendi perinde accipiendum, atq; si dixisset, credidisti me esse filium Dei per naturam? & tamē ipse audet interrogare: *Quid aliud credidit &c.* quasi jam compertissimum esset, dari talem filium Dei &c. & quasi id, quod viderat Thomas ex signis & resurrectione, credere non potuerit nec debuerit: aut quasi præter hoc ipsum aliquid aliud credere necesse fuerit: aut quasi præter signa & resurrectionem aliquid illustrius in Christo conspectum fuerit, ex quo non solùm per gratiam, sed etiam per naturam ipsum esse filium Dei colligi potuerit.

Sed & in verbo *videndi* æquivocatione ludit Carmelita. Nam

quod Christus de visu, qui fit mediantibus oculis corporeis, manifestè intelligit, id ille ad visum mentis sive spiritualem transfert. & iterum paulo pòst novo quodam modo, ex eadem voce occasione arrepta, ludit, dum pro eo, quod dicere debuisset, nolunt credere, nisi *quod vident*, vel, si ad Christi verba propiùs accedere voluit, *nisi Christum viderint*, supponit, *quod sibi videtur*. Cujusmodi lusus in re seria & gravi an deceat veritatis studiosum, nedum professione Theologum, malo ipsius Carmelitæ judicio committere, quàm inconvenientiam facti manifestam exaggerando, lectorem diutiùs detinere. Quin nec illud sicco pede transeundem est, quòd non omninò sibi constare videatur Carmelita, in hisce suis ad verba Thomæ annotationibus. Nam antea quidem notari voluit, Thomam non dubitasse, quòd Christus esset per gratiam filius Dei: hîc verò eundem Thomam ex signis & resurrectione id planè vidisse confitetur. Quod posterius non obscurè ostendit, eum ante compertam resurrectionem Christi non planè id perspexisse, ac proinde paulo liberiùs suprà affirmatum esse, quòd de eo non dubitaverit. Et sanè de Christi resurrectione dubitare, est etiam dubitare, quòd Christus sit per gratiam (nempè illam Christo peculiarem) Dei filius. Priusquam autem Thomas Christum vidisset, dubiam apud eum fuisse Christi resurrectionem, vel potiùs planè incredibilem, verba ipsius apertè docent. Ioh. 20. v. 25. Quare non est quod metuamus sententiam Carmelitæ, qui dicit, nos non esse de sorte eorum, quibus Christus dixit: *Beati qui non viderunt & crediderunt*. Eos enim beatos Christus pronunciat, qui cùm ipsum a mortuis resuscitatum non viderint, nihilominus tamen credunt, eum resurrexisse, & proinde revera esse Dominum & Deum suum, qualem eum D. Thomas professus fuerat, quod nos ex animo credimus & profitemur. Qua in re suffragatur nobis egregiè Apostolus Rom. 10. dum ait: *Si confessus fueris in ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quòd Deus illum excitavit ex mortuis, servaberis &c.* Quanto enim difficultas major est in eorum fide, quæ non visâ, sed auditâ tantùm Christi resurrectione nititur, tanto major eorum virtus apparet: ac proinde tanto abundantiori præmio a Deo digna censetur. Hinc Petrus singulariter fideles illos commendat, qui cùm non viderint Christum, eum tamen diligunt &c. Deniq; quod nobis adscribere non veretur, nos nihil credere velle, nisi quod nobis videatur; in nos id sine ulla causa confert, quod nunquam probabit, adeoq; maximâ

nos injuriâ afficit, quam nos Deo & hominibus piis judicandam relinquimus.

Vt autem ex hoc ipso loco, quem adversus nos vibrat, aliquid lucis veritati accedat, sic argumentamur:

Christus est ea ratione Dominus & Deus noster, quæ cadere potest in eum, in cujus manibus signa clavorum propriè conspecta fuerunt, & in cujus latere vulnus verè apparuit. Ergo non per naturam, sed per gratiam.

Ratio consequentiæ: Quia is, qui natura Deus est, propriè loquendo, neq; clavis transfigi, neq; vulnerari lanceâ potest. Hîc verò ad alteram illam naturam, quam per æternam generationem Christus a Patre sit consequutus, confugere, frustra est: cùm & ipsa in quæstione sit, hocq; ipso argumento a nobis impugnetur; & antea, præter humanam, aliam quandam in Christo naturam inducere, absurdissimum esse ostensum sit: & deniq; admissis duabus istis naturis, cùm agere & pati suppositorum sit, nisi Christus sit persona humana, nihil horum pati potuisse ipsam naturam humanam, satis constet.

Absolutis testimoniis Apostolorum, quæ suo errori opitulari posse putabat Carmelita, verba Christi ipsius in auxilium vocat. Sic enim ait: *Venio tandem ad Christum, qui Ioannis* 10. *dixit. Ego & Pater unum sumus. Ergo revera ejusdem sunt ad invicem naturæ.* Hujus argumenti consequentiam nos negamus. Adversarius verò priusquam eam probare conetur, obliquè ei fidem conciliare tentat. Nam ut exceptionem nostram elevet, negat unitatem istam posse intelligi de unitate affectus & charitatis: quamvis alibi legatur, Christum orare Patrem, ut discipuli ipsius sint unum, sicut & ipse cum Patre unum est. Rationem affert: quia similitudo ista non est ad omnia extendenda. Hîc verò mirari subit Carmelitam, qui aliis leges disputandi præscribit, neq; se erroris admoneri, vel sua ultima decreta corrigi patitur, non intelligere, aliud esse excipere, aliud argumentari. nihil enim est necesse, ut nos ex loco Ioh. 17. v. 22. evincamus, omninò aliter accipienda esse verba Christi Ioann: 10. quàm velint Adversarii; sed satis esse ostendere, modum istum loquendi, quo Christus Ioh. 10. utitur, ita simpliciter usurpatum, aliter accipi posse, & ita non necessariò efficere, eandem esse ipsius cum Deo essentiam, quemadmodum requirit Adversariorum collectio: quia alibi etiam idem modus loquendi reperiatur ab ipso Christo usurpatus de ipsius discipulis, quos ita unum esse cupiat inter se, sicut ipse cum Patre unum est: cùm certum sit, discipulos

ſcipulos non potuiſſe ejuſdem inter ſe numero eſſentiæ eſſe, & ridiculum ſit exiſtimare, Chriſtum id curâſſe. Quòd ſi inſuper nihil impediat, quominus intelligamus, ejuſdem generis eſſe unitatem illam, qua Chriſtus & Pater ſunt unum, cujus eſt ea, quam precabatur diſcipulis; tanto minùs poterit ex hoc modo loquendi concludi eadem numero Chriſti cum Patre ſuo natura; cùm certiſſimum ſit, eam unitatem, quam Chriſtus eſt precatus diſcipulis, accipi non poſſe de unitate naturæ. Sed interim quis eſt tam bardus, qui neget, hoc ſimile non eſſe idem, atq; reperiri in eo quidpiam diſſimile? Verumtamen diſſimilitudinem iſtam, quam fingit Carmelita, agnoſcere non tenemur, niſi priùs probetur, eandem eſſe Chriſti cum Deo eſſentiam. Eſt autem præterea & illud dignum animadverſione, quòd Carmelita non tantùm noſtram reſponſionem ad ſuam vel ſuorum ex hoc loco ratiocinationem, pro argumento habeat vel haberi velit: ſed etiam, dum ipſe eam refellere conatur, admodum ineptè argumentetur, & ita, ut non minùs pro nobis, quam pro ipſo faciat ea ratio, qua utitur. Nam ex eo concludit, non poſſe intelligi verba illa Ioh. 10. de unitate affectus & charitatis, quemadmodum Ioann. 17. quia hæc ſit ſimilitudo, quæ non per omnia reſpondere debeat ſuo ſimili. Atqui hæc ratio a natura ſimilium petita, tantùm apta eſt ad efficiendum, non neceſſariò ita intelligi hanc phraſin: non autem evincit, non poſſe illam in eum ſenſum accipi: quin potiùs indicat contrarium, poſſe eam notionem ipſi ſubeſſe. ſimilitudo enim non prohibet, quominus utrobiq; idem ſit phraſeos, de qua agitur, ſenſus. Adde quòd nos nunquam fortaſſe ad eum modum ſimpliciter loquamur, in verbis Chriſti Ioh. 10. ſermonem eſſe de unitate affectus & charitatis, quamvis etiam hanc ibi contineri non negemus: ſed de rerum, quæ ad ſalutem pertinent, Chriſto cũ Deo communi poſſeſſione, ac voluntatis (quam charitatem & affectum erga ſalutem noſtram appellare licet) in nobis ſervandis arctiſſima conjunctione, adde etiam poteſtatis ſuper omnia Chriſto datæ communione, ea percommodè intelligi poſſe non dubitamus. Adverſarius verò, qui de unitate eſſentiæ utriq; communi hîc ſermonem eſſe aſſeverat, eo ipſo unitatem affectus & charitatis, rerumq; & voluntatis conjunctionem his verbis includit: aut ſi hanc excludat, identitatem (ut loquuntur) eſſentiæ divinæ planè tollit.

Sed cùm non haberet Carmelita, quod directè opponeret noſtræ exceptioni, a rationibus deſtitutus, deſinit argumentari, & incipit mirari. Di-

rari. Di-

tari. Dicit enim, mirum eſſe, cur nos nolimus in verbis illis Geneſeos, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, intelligere veram imaginem, nimirum in tribus facultatibus animæ, quæ tribus perſonis divinis reſpondeant, conſiſtentē: ſed ſimilitudinem, quam ipſe neſciat, imò nullam hîc admittamus, quia hoc nobis adverſetur: aliis verò in locis, quibus contra Catholicos, id eſt, Pontificios, ut ipſe putat, abutamur, intelligamus perfectam identitatē, cùm ſola ſimilitudo, quæ in nonnullis tantùm rebus ſita eſt, ex mente ſcripturæ attendenda ſit. Sed non eſt quod miretur Carmelita, cur in illa ſimilitudine, ad quam homo factus ſit, tres potentias animæ unius, tres perſonas in una divinitate referre, non agnoſcamus. Nam nec a Moſe, qui deſcripſit hanc ſimilitudinem, ad quam homo factus eſt, iſtæ tres potentiæ uſquam explicantur; nec tres perſonas in una divina eſſentia dari uſquam legimus in S. literis, quæ ſolæ ſunt norma fidei noſtræ, nunquam id tacituræ, ſi hoc dogma verum eſſet, prę ſertim cùm id ex ſententia adverſariorum prorſus ſit neceſſarium: imò ne colligi quidem ex ipſis poſſe videmus, quod non tantùm non neceſſarium, ſed etiam planè nullius momenti eſſe ad ſalutem, ac proinde prorſus falſum illud eſſe demonſtrat. Adde quòd non tantùm S. literis hoc commentum incognitum eſſe, ſed etiam planè repugnans, ex iiſdem S. literis didicerimus. Nam hæ ubiq; unum tantùm Deum, nempe illum altiſſimum eſſe teſtantur: eumq; non rarò Patrem, aliquando etiam ſolum patrem eſſe apertè docent: & ita unam tantùm eſſe perſonam in divinitate demonſtrant. Taceo quòd ſanæ rationi, quæ divinæ revelationi S. literis comprehenſæ ancillatur, ideoq; ſpernenda nullo modo eſt, imò quoties S. teſtimoniis deſtituimur, ſola pluris facienda, quàm totius mundi auctoritas rationi contraria, hujuſmodi Trias ex diametro adverſetur. Nam tres perſonas eſſe unum Deum, perinde involvit contradictionem, atq; ſi quis ſimul & affirmet, & neget, unam eſſe divinam eſſentiam; vel etiam dicat, tres eſſe Deos, & tamen rurſus non tres, ſed unum eſſe aſſeveret. Eſſentia enim a perſona in Deo revera non differt, quicquid comminiſcantur adverſarii. Nec enim Dei eſſentia ſpecie, ſed numero eſt una, ut omnes fatentur: nec quidquam habet Deus cum ſecunda eſſentia ſeu ſubſtantia, quam vocant, commune, quæ aliud reipſa eſt a perſona, ſed tantùm cum prima, quæ ubi eſt intellectu prædita, idem prorſus eſt cum perſona. Unde apparet, non ideò nos rejicere iſtud Triados commenticium dogma, quia ratione comprehendi non poſſit: ſed quia ratio prævia S.

Ioh. 17. v. 3. 1. Cor. 8. v. 6. Eph. 4. v. 6.

Scripturæ luce manifestè deprehendit, illud esse veritati planè contrarium. Quòd si tres personæ in divinitate non reperiuntur, quomodo vera erit illa imago, quam fingit Carmelita? Quòd verò Carmelita asserit, nos ponere similitudinem nescio quam, aut certè nullam; quàm id rectè ab eo dicatur, expendat cordatus lector. Similitudinem enim illam, ad quam homo conditus esse dicitur, in dominatu & imperio rerum omnium, cujus gratiâ divinæ illius particulâ auræ, hoc est, mente & ratione homo a Deo donatus est, (in qua etiam ipsa imaginem divinam alii collocarunt) positam esse credimus, quam ibidem Deus ipse apud Mosen explicare videtur, in sequentibus verbis: *Et dominetur &c.* Hæc verò sententia nostra, quanto est simplicior, & ab illa Carmelitana subtilitate remotior, & deniq; textui, in quo ejus imaginis fit mentio, vicinior, tanto veritati propior censeri debet. Vnde etiam a nonnullis Doctoribus, quos Carmelita plurimi facit, approbata est. Cæterùm quod addit, nos in aliis locis, quibus abutamur contra Catholicos, perfectam identitatem intelligere &c. in eo quantopere erret, ex suprà dictis perspicuum est. Tantum autem abest, ut de perfecta identitate in aliquo ex iis locis, quos afferre solemus, agi affirmemus, ut ne perfectam quidem similitudinem iis contineri existimemus. An verò hoc sit abuti testimoniis S. scripturæ, unū locum obscuriorem & controversum, per alios plures clariores & minùs controversos explicare; vel potiùs tantùm indicare, non necessariò ex phrasi quapiam scripturæ id inferri uno in loco, a quo diversum quippiam pluribus in locis significare eadem phrasis invenitur: an verò, phrasin aliquam generalem ad specialem quandam significationem necessariò restringere, dummodo tuæ opinioni præjudicatæ inservire possit, quamvis alia usitatior, & textui accommodatissima sit in promtu, tua verò sit planè insolita, nec ullum ejus exemplum afferri possit, quod non sit controversum, judicent pii & eruditi. Nam nobis quidem eos, qui priorem viam sequuntur, rectissimè S. literis uti; qui verò posteriorem, iisdem abuti persuasissimum est.

Gen. 1. 26.

Sed pergit Carmelita, & verba ista Christi, *Ego & Pater unum sumus*, non de unitate affectus, sed de unitate naturæ juxta contextum intelligi debere, aliquot rationibus probare conatur.

Prima ratio nititur sensu æquè controverso sequentium verborū Christi, atq; est priorum; imò quæ multo magis adversari videntur sententiæ Carmelitanæ, quàm priora, ut postea ostendemus. Sunt autem ver-

tè verba Christi ad Iudæos: *Vos dicitis quòd blasphemas, quia dixi filius Dei sum.* Ergo idem erat *unum sumus*, ac *filius sum*; Nam ipse Christus ita seipsum explicuit. At hoc primò probandum fuerat, non magistrali more asseverandum absq; ulla ratione: alioquin cur non sit fas, præsertim cum ratione, id in dubium vocare, non video. Quid enim vetat, quominus Christus, non ad unitatem istam, præsertim solam, sed ad vocem *Patris*, qua Deum simpliciter appellat, & ad superiora verba, quibus non tantùm Deum *Patrem suum* aliquoties nominat; sed etiam se Christum, id est, filium Dei singularem esse, non tantùm non inficiatur, a Iudæis rogatus, sed etiam ex operibus probat, & vitam æternam se dare ovibus suis, easq; sibi a Patre datas esse, quod non nisi singularissimo Dei filio competit, in his verbis respiciat? Quid si ad alios etiam suos sermones Christus respexit, in quibus seipsum filiũ Dei expressè professus est, & talia sibi tribuit, quæ hoc ipsũ apertè significant? Sed demus Adversario, hæc verba illis æquipollere, & priora per posteriora explicari. An illico consequetur, Christum de eadem natura cum Patre suprà fuisse loquutum? Imò verò contrarium. Nam si ita est unum cum Deo Christus, ut filius cum patre, nulla ratione est ejusdem numero naturæ. de numeri enim, nõ de speciei unitate hîc agitur. filium namq; eandem numero cũ patre essentiam habere, est, desinere esse filium, & fieri patrem sui ipsius: quæ cùm contradictionem involvant, sequitur, quòd ista essentiæ patris cum filio communio, non tantùm in humana, sed multo magis in divina generatione, quæ quanto plus abest ab omni imperfectione, tanto minùs patitur implicationem contradictionis, locum habere nequeat. At probat Carmelita, Christum se hoc loco non per gratiam sed per naturam profiteri filium Dei. Qua ratione? *Quia*, inquit, *hæc tanquam blasphemia Christo objicitur.* Negatur & hoc. Probat Carmelita: *Quia non est blasphemia, quòd aliquis dicat, se filium Dei per gratiam.* Egregiè sanè. Sed cur non considerat, non parum interesse inter veram blasphemiam, & eam, quæ tanquam blasphemia objicitur? aut si considerat, cur ejusmodi terminorum mutatione aliis imponit? Nonne videt, in hoc argumento ad formam syllogisticam redacto, plures quàm tres terminos reperiri? De qua filiatione Christus loquitur, ea tanquam blasphemia Christo objicitur. Atqui filiatio per gratiam non est blasphemia. Ergo de filiatione per gratiam Christus non loquitur: & ex consequenti, se filium Dei per naturam appellet necesse est. Quòd si Assumtionem suam ita emendare velit, ut pro voce

est, supponat vocem *objicitur*, quasi dixerit: Atqui filiatio per gratiam Christo tanquam blasphemia non objicitur, quia nimirum non est vera blasphemia; ne sic quidem evadere poterit. Nam hanc probationem admodum imbecillam esse, quis non videt? Nam quid prohibet, quominus id, quod blasphemum non est, tanquam blasphemum alicui objiciatur? Potest enim injuriâ & falsò objici, ut res ipsa in hoc exemplo docet. Quanquam Carmelita ita argumentari videtur, ut tacitè Iudæorum partes hîc tueri, nec nos solùm, sed etiam Christum ipsum oppugnare, & blasphemiæ per imprudentiam eundem accusare meritò dici possit. Nam si ex eo colligit, non fuisse objectam Christo blasphemiam a Iudæis, quatenus se filium Dei per gratiam esse professus est, quia nulla sit revera in eo blasphemia; an non cùm certum sit, objectam nihilominus fuisse blasphemiam, vi hujusmodi ratiocinationis inferri potest, jure eam fuisse objectam, & proinde veram fuisse blasphemiam? Viderit igitur adversarius quid agat, & si hujusmodi absurda evitare velit, desinat veritati adversari. Quid? quòd seipsum hac ratione refellit, & sententiam suam de filio Dei, qui sit ejusdem numero naturæ cum Patre, blasphemiæ coarguit, nostram verò ab eadem liberat. Nam si id tantùm tanquam blasphemũ objici potuisse a Iudæis Christo, ipsius ferat argumentatio, quod fuit blasphemum; hinc sequitur, blasphemum esse affirmare, Christum se per naturam filium Dei esse dixisse. Hoc enim tanquam blasphemum a Iudæis objectum esse credit Carmelita. Cùm autem Christum dixisse, se per gratiam esse filium Dei, quod nos affirmantes facit, ipse a crimine blasphemiæ absolvat; hoc ipso nos meliorem vel saltem tutiorem sententiam sequi concedat oportet. Sed nondum est finis eorum, quæ in hoc argumento jure desiderari possunt. Quoties enim filiationis per gratiam in hac materia mentionem facit Carmelita, toties ferè vel homonymiâ vel elencho a secundùm quid ad dictum simpliciter ludit manifestè. Nam gratia, per quam res creatæ sunt filii Dei, vel est communis Christo etiam cum aliis, vel soli Christo peculiaris & propria. Quamvis igitur secundùm quid concederemus non esse blasphemiam, quòd aliquis dicat se filium Dei per gratiam, ea nimirũ ratione, quæ est communissima: certum tamen est, illum a blasphemia liberari non posse, qui singularem quandam & soli Messiæ convenientem gratiam sibi falsò tribuat, seq; ea ratione Deo conjunctissimum & familiarissimum faciat, & ita cum ipso unum pronunciet, ut nemo unquam vel hominum Deo charissimorum vel ipsorum

psorum etiam Angelorum, tantum sibi tribuere sit ausus, imò ne potuerit quidem, licet id non per naturam, sed per gratiam sibi competere, asserere voluisset. Quapropter cũ Iudęi, Christi hostes infensissimi, Christum hæc sibi quamvis verissimè tribuentem, non sine evidentibus documentis audirent, odio ac livore excæcati, & perversâ obstinatâq; mentis malitiâ indurati, adde etiam humilitate & infirmitate ipsius secundùm carnem graviter, sed injuriâ, offensi; quippe qui regem per prophetas promissum, potentiâ, majestate ac splendore hujus mundi illustrem, ad sui ex servitute terrena in libertatem restitutionem somniabant: cum, inquam, Christum falsò se pro Messia venditare, tantamq; conjunctionem & familiaritatem cum Deo sibi impiè tribuere censerent, imò impostoris & seductoris loco haberent, quid mirum est, eos ausos fuisse Christo blasphemiam objicere, quatenus se, non quidem simpliciter filium Dei per gratiam, sed talem & tantum, tamq; eximia & insigni ratione, faciebat & prædicabat per gratiam filium Dei. Nec sanè multum, si exactiùs rem expendamus, hac in parte a Iudæorum opinione abesse videtur cum suis Carmelita. Dum enim credit, hominem Christum Iesum, nisi eandem habeat essentiam cum Patre, non potuisse sibi talia & tanta tribuere, qualia & quanta nos in ipso agnoscimus & veneramur; blasphemiam Christo objicere jure dici potest, quòd hæc sibi tribuere sit ausus, cùm præter humanam nullam aliam naturam habuerit, ut antea demonstravimus. Hactenus prima ratio, ex sensu Carmelitæ petita.

Secundum argumentum, quo adversarius adversus nos utitur, est ex Iudæorum sensu, sive mavis furenti judicio, depromta. Quia videlicet voluerint Christum lapidare, quòd se unum cum Patre esse dixerit. At nõ voluissent, inquit, eũ lapidare, si solùm dixisset, se esse filium Dei per adoptionem, vel unũ cum illo charitate, &c. Posset hîc iterũ quæri non injuriâ, unde constet adversario, verba hæc *unum sumus* dedisse occasionem Iudæis cogitandi de Christo lapidibus obruendo? Etenim ea, quæ suprà Christus loquutus est, poterant non minùs Iudæos irritare, atq; hoc. Nec tam proclive fuerit id probare quàm proloqui. Et mirum est ipsum, qui toties ab Opponente postulare audet probationem, & ita negat etiam clarissima, adeò parcum esse in probandis iis, quæ asserit. Sed quia hoc citra veritatis injuriam concedi potest, nolo id ampliùs persequi. Illud potiùs moneo, ne huic sophismati nimium tribuat, quod sæpiùs occurrit, quodq; paulo antè deprehensum notavimus: dum pro filio Dei singularissimo, & omnium di-

um diviniſſima ratione per gratiam a Deo genito, qualis fuit Chriſtus, ſupponit ſimpliciter filium Dei per gratiam vel adoptionem, vel, unum cum Patre charitate. Nam non ſemper tutum eſt, ex opinione ſua aliorum judicia metiri. Quis enim, cui veritas divina cordi eſt, non videt, facilè fieri potuiſſe, ut Iudæi acerrimi Ieſu hoſtes, Chriſtum lapidare vellent, quamvis immeritò, quia ſe talem filium Dei dixiſſet, qualem nos eum eſſe agnoſcimus, & toties profeſſi ſumus, non ſolùm voluntate, charitate, ſed etiam poteſtate, & rerum, quæ ad ſalutem pertinent, communione, Deo, a quo eſſentiâ diverſus eſt, adeò conjunctum, ut nihil unquam fuerit conjunctius? Cùm etiam Cajaphas blaſphemiæ damnarit Chriſtum, quòd ſe Chriſtum illum Dei filium dixerit. Cur igitur ſat habet, nudam mentionem facere adoptionis filii Dei, vel unionis per charitatem cum Deo, in occaſione, quam ſententia noſtra præbere potuerit, indicanda, cur Iudæi adeò excanduerint, ut Chriſtum lapidare vellent? Quis neſcit, multiplicem eſſe tum adoptionis, tum unionis illius gradum; in ſupremo autem & eminentiſſimo Chriſtum a Deo conſtitutum?

Matth. 26. v. 63, 64, 65.

Porrò teſtimonia illa, ex quibus Carmelita ſenſum Iudæorum de Chriſti divinitate vult colligi, probant quidē eos ſenſiſſe, quòd Chriſtus ſe dixerit ſingularem illum Dei filium, adde etiam Deum verum, & æqualem Deo: ſed quòd crediderint ipſum dixiſſe, ſe ex ſubſtantia Patris genitum ab æterno, vel eundem Deum, quem Patrem ſuum appellabat, & cui ſe æqualem faciebat, & cujus ſe filium dicebat, tantum abeſt ut probent, ut contrarium planè ex illis ſequatur neceſſariò. Nam ut ſui ipſius filius nemo eſſe poteſt, aut ejuſdem numero eſſentiæ filius cum patre, quod idem eſt: ita nemo ſibi ipſi eſt æqualis. Nam eſſentiæ & perſonarum in divinitate diſtinctionē, & controverſam eſſe per ſe ſatis conſtat, & falſam eſſe ſuprà docuimus, & Iudæos ipſam intellexiſſe, ſi vera eſſet, nec eſt veriſimile, nec ipſe opinor audebit aſſerere adverſarius. Quare immeritò miratur Carmelita, nos non poſſe vel nolle id intelligere, quod intellexiſſe credit Iudæos. Nam nec probabile fecit, eos in eum ſenſum Chriſti verba accepiſſe, qui ipſi arridet; nec ſi id obtinuiſſet, quidquam mirum videri debet, ſi homines Chriſti Domini ſui gloriæ amantes, rectiùs & magis dextrè verba Chriſti interpretantur, quàm ii, qui hoſtes fuerunt ipſi infenſiſſimi; & ne blaſphemiam cum Iudæis Chriſto tribuant, ut imprudens facit Carmelita, malunt ex ipſius Chriſti verbis clarioribus, quibus Patri ſuo omnia accepta refert, mentem ipſius in controverſis colli-

ſis colligere, quàm ex Iudæorum calumniis & furioſo ac invidiæ pleno judicio. At nos jure optimo mirari poſſumus, quî fiat, quòd ii, qui ſe Chriſtum præ cæteris colere & adorare, deq; ipſo magnificentiſſimè ſentire præ ſe ferunt, noſq; in ipſum blaſphemos eſſe proclamare non dubitant, ex Iudæorum, Chriſtum blaſphemantium, & tamen impiè Chriſtum blaſphemiæ accuſantium, caſtris ſubſidia adverſus nos, vel potiùs veram Chriſti divinitatem, quærant & petant. Quin & illud mirari ſubit, quòd Carmelita tam benignè Iudæorum impietatem & crudelem animum interpretetur, quem abominari debebat. Nam & aliam Chriſtum lapidandi cauſam, non omninò injuſtam, ex mente legis ipſos habuiſſe perſuadere conatur, quam illi arripuerint: & eos ita æquos ac moderatos fuiſſe cenſet, ut eos hoc ſolùm nomine, quia tantum ſibi tribuit, quantũ ipſe Carmelita ſecundùm humanã naturam Chriſto tribuit, de Chriſto lapidando nõ fuiſſe cogitaturos, contendat & urgeat: & deniq; a legis præſcripto, quod apud Pilatum, non Herodem, ut habet Carmelita, ſuæ immanitati & impietati obtendebant, dum ipſum morti adjudicarent, minimè receſſiſſe, non obſcurè indicat. Nam etſi hæc verba in ipſius concione non habentur, ſententiam tamẽ eorum haberi, vel ſaltem ex iis colligi poſſe, oſtendere admodum eſt proclive. Nam qui dicit, Iudæorum accuſationem apud Pilatum contra Chriſtum, eam ob cauſam inſtitutam, quia filium Dei ſe fecit, ideoq; ſecundùm legem mori deberet, (quæ verba c.19.v.7.
Iudæorum ſunt a Ioanne expreſſa) & mox ſubjicit, certum eſſe, non fuiſſe eum morte dignum, qui ſe feciſſet filium Dei adoptivum; nonné hoc ipſo Iudæos excuſat, & ſecundùm normam legis eos judicium de Chriſto tuliſſe oſtendit? Nam alioquin quorſum hæc certitudo allegaretur, ſi nihilominus incertum manet, an Iudæi ſecundum regulam legis Moſaicæ, crimẽ mortis Chriſto intentarint, imò ſi conſtat, eos non legi, ſed livori & impotenti animo ſuo hac in parte inſerviiſſe? Quod ſanè ad declarandum, quàm ſit elumbis hæc ratio adverſariorum a Iudæorum ſenſu petita, plurimùm facit. Quamvis autem certum eſſet, non fuiſſe morte dignum ſecundùm legem, qui ſe feciſſet filium Dei adoptivum: dignus tamen is fuit, qui arrogantiâ depravatus loquebatur in nomine divino, quæ illi a Deo præcepta non fuerunt, ut locus Devt. 18. teſtatur. Ieſus autem ſe filium Dei illum ſingularem, qui Chriſtus eſt, faciendo, quamvis Dei Iſraëlis nomine loqueretur, id dixit, quod Iudæi falſiſſimum eſſe exiſtimabant, vel certè ſe exiſtimare profitebantur, & ſic minimè illi a Deo præceptum fuiſſe, ut

isse,ut id diceret,aut sentiebant, aut sentire se præ se ferebant. Vnde non sine speciosa quadam apparentia, quamvis injustissimo revera prætextu velata, mori illum secundùm legem debuisse affirmabant. Quanquam non tantùm fieri potest,ut legem istam falsò Iudæi jactarent; sed etiam non in ipsis libris Mosis expressam illam se habere putarent, sed datam sibi a patribus haberent, ex interpretatione verborum Mosis. Verisimile enim est,mortis pœnam,ex interpretatione legis de occidendo falso propheta,constitutam apud Iudæos fuisse ei, qui falsò se illum Dei filium, non ex substantia Patris genitum, (hunc enim tanquam falsum & imaginarium apud Iudæos fuisse fatentur Adversarii) sed eum quem tanto cũ desiderio expectabant, id est, Christum esse prædicâsset. Quod si ita est,nõ simpliciter ob id,quòd quis se talem vocâsset, quasi scilicet id dixisset de se, quod fieri nullo modo poterat,ut quidem ipsis videbatur,dignum eum morte censuisse, sed quia falsò vocasset. Itaq; haud multo plus efficaciæ & roboris in hoc argumento,ex Iudaico sensu blasphemo,quàm in priori,quod ex Carmelitano commento petitur,reperitur:& proinde ab illis verbis,quæ huic argumento præmisit, *urgeo adhuc efficaciùs*, adversarius abstinere potuisset.

Sed videamus,an fortasse tertia ratio plus habeat virium. Videtur enim non jam ex Iudæorum maligna & perversa interpretatione, aut Christi verborum commentitia explicatione sumi, sed ex vi argumentationis, quâ Christus in asserenda immutabili certitudine æternæ beatitatis fidelium suorum utitur. Probat, inquit, Christus, neminem oves suas erepturum ex manu sua, hoc argumento: *Nullus rapiet oves meas de manu patris mei. Atqui ego & pater unum sumus. Ergo neq; de manu mea quisquam eas rapiet.* Quæ argumentatio nulla esset, si verba illa *unum sumus*, non intelligerentur ratione naturæ & potestatis &c. Sed primùm scire velim, quid causæ sit, quòd cùm ab initio usq; hactenus nullam *potestatis* expressam mentionem fecerit, sola naturæ unitate contentus, hîc demum expresse & distinctè non *naturæ* solùm, sed etiam potestatis,secundùm quam Christus cum Patre sit unum, meminerit? Novit proculdubio nos libentissimè concedere,ut hæc verba ad unitatem potestatis etiam referantur, neq; tamen hinc essentiæ identitatem importari. Dicet, naturam & potestatem idem in Deo esse. Atqui cum potestatem ita accipit, de naturali potestate id intelligat necesse est, quam nos Christo datam esse negamus. At potestatem a Deo cum rebus creatis ejusdem generis ali-

ris aliquo modo communicari posse, ut & immortalitatem, sanctitatem, sapientiam, & Christo secundùm humanam naturam in tempore datam esse confitentur adversarii, iidem essentiam communicari cum re creata posse, unà nobiscum negant, & jure quidem. Præterea cur non probavit Carmelita, invalidam futuram argumentationem Christi, si secus intelligatur, quàm ipse velit? Annon actoris erat, cujus partes jam in se recepit, id demonstrare, quod aliis persuadere voluit? Si unitas ista de essentiæ & potestatis in Deo naturalis unitate intelligeretur, non negamus, efficacem fore argumentationem: at nihil valituram, si aliter intelligatur, nulla ratione concedi potest. Possunt enim dari alii modi, quibus unitas ista accipiatur, ex quibus necessariò colligitur, oves Christi non perituras, neq; ex Christi manibus eripi a quoquam posse, iiq; ex ipso Christi sermone eruti. Quid enim prohibet, quominus hæc fuerit mens Christi: Tantam se habere cum Patre rerum & voluntatis conjunctionem, ut si quis velit ipsius oves de manu ejus rapere, perinde sit, atq; si de ipsius Patris manu eas rapere vellet: quòd si nullo pacto fieri potest, ut quisquam eas de Patris manu rapiat, fieri etiam non posse, ut quisquam eas de ipsius manu rapiat. Hanc verò tantam conjunctionē præcedentibus verbis Christus indicaverat, dum ait: *Pater meus, qui dedit mihi* (oves meas) *major est omnibus, & nemo potest rapere* (oves meas) *de manu Patris mei.* Hîc enim primùm Christus profitetur, oves suas sibi datas fuisse a Patre, & sic indicat, eas non minùs suas quàm Patris esse: seq; in illis possidendis & gubernandis Patri subordinatum ab ipso Patre fuisse. Deinde apertiùs, quamvis sibi a Patre datas, in ipsius Patris manu adhuc eas esse ostendit, cum ait, neminem posse eas rapere de manu Patris sui. Quòd si ad potestatem, non illam in Deo naturalem, sed certo tempore a Patre Christo datam, ista unitas referatur, an non firmum erit argumentum? Quamvis enim non simpliciter & absolutè, una & eadem sit Christi & Patris potentia: est tamen secundùm quid; quatenus scilicet Pater cum Christo in regendis & servandis iis, quos ipsi dedit, suam potestatem communicavit, & quidem talem & tantam, ut ea in re ipse Pater, id est Deus habet. Nam de communicatione ista potentiæ Dei cum Christo, Christo, inquam, homine, suprà disseruimus. Si igitur unum est Christus cum Patre, quia oves ipsius sint Patris oves; quia Patri æquè sint curæ atq; Christo; quia æquè eas Pater perire nolit, & servare velit, atq; Christus; quia deniq; æquè eas Christus servare possit, atq; Pater; quid ampliùs desideras in Christi argumenta-

mentationē? Num unitatem eſſentiæ? Atqui citra hujus opem argumentationem Chriſti inconcuſſam conſiſtere fatearis neceſſe eſt. Deinde hanc unitatem eſſentiæ non poſſunt ferre verba Chriſti. Dicit enim Chriſtus, Patrem oves ſibi dediſſe, Patrem majorem omnibus eſſe: (puta, ne ipſo quidem Chriſto excepto, ut Ioh. 14. v. 28. expreſſè Chriſtus indicat) quod de eo, qui ſit idem numero cū Chriſto Deus, nulla ratione prædicari poteſt. Deniq; ſi hæc identitas numerica eſſentiæ Chriſti cum Patre contradictionem involvit, quid inconſultius, quàm in ea robur argumentationis Chriſti collocare? Annon hoc revera eſt Chriſti argumentum debilitare, & veritatem, ab ipſo magno cum emolumento ſpei noſtræ aſſertam ac defenſam, oppugnatum & everſum ire? At in ſubſidium vocat Carmelita verba Chriſti Ioh. 16. *Omnia quæcunq; habet Pater mea ſunt.* At in his verbis non dicit Chriſtus, ſe hæc ita naturâ habere, id eſt a ſeipſo, quemadmodum habet Pater: imò ſæpiſſimè contrarium profitetur, cum ea ſibi data a patre agnoſcit, Matth. 28. Ioh. 3. Ioh. 13. Datum autem quidpiam habere, & a ſeipſo habere pugnant: multò verò magis cum illud, quod
Phil. 2 alicubi datum dicitur, alibi *donatum*, id eſt gratis datum affirmatur. Quare temerarium eſt, vocem *omnia* ita universè accipere, ut in ea eſſentiam etiam divinam includi velis, idq; ſine ulla probatione. Etenim ita eam accipi poſſe, ut eſſentiam illam numero unam non includat, imò ita accipi non poſſe, ut eam includat, nimis certum eſt. Poſſe aliter accipi, quàm tu velis, argumento eſt, quòd vox *omnia* vix uſquam fortaſſe univerſaliter accipiatur in S. literis, ſed ſemper ad ſubjectam materiam reſtringenda: & plerumq; cum exceptione aliqua. Vide Marc. 13. 23: Ioh. 4. 25: 14. 26: & 19. 28: Act. 20. 35: 1 Cor. 6. 12: & 13. 7: 2 Cor. 5. 17: 1 Ioh. 2. 20, & 27. Deinde ipſe communis loquendi uſus hoc fert: ut ſi dicat filius, ſua eſſe omnia quæ patris ſui ſunt, aut uxor, ſua eſſe omnia quæ ſunt mariti; an illicò eſſentiam eandem numero ſibi tribuit filius cum patre, uxor cum marito? Non poſſe autem ita accipi, ut tu accipis, præter ea, quæ ſuprà toties diſſeruimus, & paulo antè diximus, contra identitatem iſtam numericam eſſentiæ Chriſti cum Patre, oſtendunt 4. illa capita, in quibus prolixa Chriſti oratio habetur, ex quorum 16. hæc verba deprompta: in quibus Chriſtus ſeipſum a Patre ita manifeſtè diſtinguit, ut pertinaciſſimum eum eſſe oporteat, qui nihilominus aſſeveret, eum eſſe unum
Ioh. 14. v. 28. Deum cum Patre, quo ad eſſentiam: præſertim verò cùm Patrem ma-
ib. v. 16. jorem eſſe quàm ipſe ſit; ſe rogaturum Patrem, ut alium paracletum

mittat suis, asserit; imò preces ad patrem fundit, rogans ut ipsum glorificet, & intercedit pro suis Apostolis, atq; iis, qui credituri erant per ipsos in nomen ipsius. Quod nullo modo fieri potest ab eo, qui naturâ Deus est, etiamsi tandem naturam humanam haberet. Nam precibus illud ab alia quadam persona exorare, quod ipse in tua potestate naturaliter perinde habeas, atq; ille quem oras, quid aliud est, quàm teipsum & aliũ deridendum propinare? Itaq; concidit etiam tertia & postrema ratio pro una numero essentia Christi cũ Patre adhibita. cap.17.1, &c. v.9, &c. v.20, &c.

Argumentis absolutis, objectionem pro nobis format, & ad eam pro libitu suo respondet. Objectionem ita concipit: *Ipse Christus explicuit, quid sit hoc Unum sumus dicens: Si ergo eos dixit Deos, ad ad quos sermo Dei factus est; vos dicitis quia blasphemas, quia dixi filius Dei sum.* (Nam verba illa, *quem Pater sanctificavit, & misit in mundum*, licet habeantur in disputatione Carmelitana formis descripta, ab eo tamen fuêre tum temporis, cum hæc diceret, omissa, tanquam ipsius causæ non parum noxia, & ab opponente demum illi suggesta sunt.) *Ergo unum sumus, non significat Unum sumus natura.* (Carmelita habet in relatione sua: *Ergo idem est unum sumus, sicut quem Pater sanctificavit.*) Hanc objectionem putat ita dissolvi posse, si consideremus, verba Christi continere argumentum a minori ad majus (& hoc ipsi est sincerè verba Christi expendere) q. d. Si ii blasphemiæ accusari nequeunt, qui se filios Dei profitentur, ob eam solam causam, quòd ad eos sermo Dei factus est, multo magis ego non sum blasphemus, qui sum filius per naturã. Non enim excedebat, inquit, alios per hoc, quòd esset filius Dei per adoptionem. Ergo indicat hîc, generationẽ suam æternã, per quã erat unũ cum Patre, & speciali modo filius Dei, nempe per naturã, supra omnes alios filios Dei, qui solùm sunt tales per gratiã. Uter magis sincertè verba Christi expendat, an qui ea integrè recitari & considerari vult, ut nos fecimus; an verò qui eadẽ mutilat, & id subticet, quod causæ ipsius plurimùm obest, ut fecit Carmel., judicent alii. Neq; verò hunc lapsum corrigit vel excusat, sed potiùs novæ vafriciei crimine eum auget, quòd in disputatione a se edita nõ tantùm hæc verba recitet, sed etiam in conclusione objectionis pro nobis formatæ satis ineptè ea inserat, quasi scilicet nos sentiamus, idem esse *unum sumus*, quod est dicere, *quem Pater sanctificavit*: & in responsione ad eandem objectionem ea ita commemoret & explicet, quasi tunc temporis vim ipsius non minimam in iis collocarit. Cur igitur candoris, ad quem alios cohortatur, ipse rationem nullam habet?

habet? Sed fac hæc verba non fuiſſe ab ipſo prætermiſſa; quis non videt, argumentum Chriſti a comparatis fore optimum, etiamſi Chriſtus non ſit filius Dei per naturam, dummodo firmum maneat, quod neminem ex ipſis Pontificiis negaturum arbitror, ipſum ſupra omnes Dei filios, ſingulariſſima ratione filium Dei per gratiam eſſe: nō quòd aliam naturam habeat, quàm ipſi, ſed quatenus non tantùm eam naturam virtute Spiritus S. virginis uterum obumbrante, non autem ſeminis virilis ope accedente adeptus; verùm etiam, idq; multo magis, quatenus cum illa ipſa natura humana ſanctitatē, ſapientiā, poteſtatem tantam, quantam cum nullo mortalium Deus communicavit, eūq; reſuſcitatum a mortuis, primum & ſolum immortalitate beavit, imò ei aliis dandæ præfecit. Quid igitur opus eſt huc accerſere alteram illam naturam, quam in Chriſto locum habere non poſſe, nimis luculenter demonſtratum eſt. Illud non exagito, quòd Carmel. ineptè Chriſtum affirmantem faciat, quòd ii, ad quos ſermo Dei factus eſt, dicant ſe filios Dei; cùm dicere debuerit, eos a Deo vel ſcriptura ita appellari. Verùm addit adverſarius: *evidenter patere, per hoc* ſanctificavit *voluiße Chriſtum ſignificare generationem ſuam æternam, per quam erat unum cum patre, & ſpeciali modo filius Dei, nempe per naturam, ſupra omnes alios filios Dei, qui ſolùm ſunt tales per gratiam.* Vndenám obſecro? Ex illo videlicet evidenti ſophiſmate, quod ſuprà indicavimus. Nam hujuſmodi ſophiſmata, ut ſæpiùs obſervaſti lector, ſunt apud Carmel. evidentia Catholicæ veritatis documenta. Sed quid ſibi vult vox *Sanctificandi?* quænám eſt hæc Sanctificatio? *Vtiq;*, inquit, *hæc eſt unctio Spiritualis, propter quam dictus eſt Chriſtus, & de qua dicitur in Pſalmo: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Demus hoc ita eſſe: quid tum poſtea? Hoc enim nondum quidquam Carmelitanam, plurimùm autem noſtram cauſam ſublevat, ut poſtea videbimus. Pergit igitur: *Quæ eſt hæc unctio & ſanctificatio præ participibus ejus, niſi unctio divinitatis?* Primùm, quid intelligit per *unctionem divinitatis?* Similis enim eſt hæc loquutio illi, quam nobis in primo argumento affinxit, dum pro nomine, quod ſignificat divinitatem, hoc eſt, eſt ipſa divinitas, *nomen divinitatis* repoſuit, ut ſcilicet intelligas, hunc loquendi modum ex propria Carmelitæ penu eſſe depromptum. Sed numquid divinitatem Chriſti vult eſſe unctam, neſcio quomodo? an verò humanitatem a divinitate? an utramq; ſimul? an aliud quidpiam ab his diverſum? Divinitatem ab alio quopiam ungi blaſphemum eſt. Vngens enim qua-

nim quatenus ungit, uncto superior sit necesse est. At Deo nihil superius. Humanitatem ipsam seu naturam humanam, quæ persona non sit, ungi, absurdum. Nam ut actiones, ita & passiones sunt suppositorum. Utramq; simul ungi, & blasphemum, & absurdum. Dicet, se per unctionem divinitatis intelligere unionem, quâ Pater in ipsa conceptione Christi univit hypostasin Verbi sui naturæ Christi humanæ. Sic enim hîc eos loqui necesse est, idest, contrario modo, quàm vulgò solent, Verbum scilicet univisse sibi naturam humanam. Atqui hoc ex verbis Christi necessariò colligi quî potest? cùm sanctificari a Deo alii etiam dicantur, quorum tamen nulli hoc contigit unquam, vel contingere ulla ratione potuit. Estné quæso verisimile, Christum aliud omnino ex verbis suis colligi voluisse, quàm quod in verbis ipsius expressum est, seu, divinitatem suam ea ratione confirmare voluisse, quæ ex ipsius verbis ab audientibus facilè intelligi non posset? Num hac ratione potuisset persuadere, se minimè blasphemum esse, quod profectò illum omnino curasse, palam est? At probat Carmelita, non posse de tali sanctificatione hoc loco sermonem esse, qualis in aliis hominibus locum habet. *Nam unctio,* inquit, *per gratiam sanctificantem, non est præ participibus Christi.* Hoc verò quis ipsi concesserit? Cur tam confidenter contra manifestam veritatem id affirmare non veretur? Nam ex ipsorum Pontificiorum sententia, proculdubio longè uberiorem gratiam spiritualem & sanctificationem cum humana Christi natura a Deo communicatam esse, quàm cum aliis omnibus ejus participibus, optimè discere potuit. Nec video, quo prætextu id asserat, nisi quòd sub eadem fallacia, quam non semel antea observavimus, se posse delitescere sperat: quia videlicet hæc gratia, quam sanctificantem vocat, Christo concessa, genere conveniat, sive ejusdem generis sit cum ea, quæ aliis fidentibus contingit. Nam alioquin vix fieri potest, quin animadverterit, unctionem illam spiritualem, per oleum exultationis & lætitiæ, cujus in Psalmo fit mentio, de Spiritu sancto intelligendam esse. Sed an non ob suam singularem præstantiam, quâ cæteris omnibus, ratione eorum munerum, quæ in humanam Christi naturam affatim sunt collata, Christus eminet, potest dici hæc gratia esse præ participibus Christi? Ex ipsius plenitudine, inquit Ioannes, omnes accepimus. In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ divinæ; in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ait Apostolus. Quamvis enim priora verba de mysterio Evangelii intelligi possint, posteriora de do-

Psal. 44. v. 9. Hebr. 1. v. 9.

Ioh. 1. v. 16. Col. 2. v. 3. 9.

de doctrina Chriſti accipienda ſint: Chriſtum tamen ipſum, per quem
doctrina Evangelica eſt patefacta, Spiritu ſancto abunde unctum fu-
v. 34. iſſe docent. Hinc factum, ut verba illa Ioh. 3. *Nō enim ex menſura dat*
Deus Spiritum, ad Chriſtum pleriq; referant, quamvis fortaſſe hic lo-
cus etiam aliter accipi poſſit, ut alibi a noſtris explicatum eſt. Poſtea-
quam verò Chriſtus dexterâ Dei exaltatus, promiſſionem Spiritus
v. 33. S. adeptus, ut loquitur Petrus Act. 2. effudit illud donum in Apoſto-
los; quis dubitabit, eum unctum eſſe Spiritu S. præ conſortibus ſuis? præſertim cùm nemo particeps Spiritus Sancti eſſe poſſit hodie, niſi Chriſti munere & liberalitate interveniente. Sed rogo, quiſnam ille fuerit, qui dicitur ſanctificatus? Ipſi adverſarii fateantur oportet, naturam humanam eſſe ſanctificatam, cùm eandem unctam a divinitate aſſeverent. unde cùm propter ſanctificationem hanc Chriſtus ſe filium Dei probet, perſpicuum eſt, illam naturam humanam filium Dei eſſe. Illam igitur ex adverſarii ſententia ab æterno genitam eſſe conſequitur. Adde, quòd Chriſtus non ex ſola ſanctificatione, ſed etiam ex miſſione ſimul in mundum, colligit ſuam divinitatem, quamvis id Carmelita reticeat in ſuo diſcurſu. Nunquam enim hoc dicere poterit, ſi ſuæ opinioni adhærere velit, quomodo ex utroq; horum Chriſtus concludat, ſe, quamvis homo eſſet, jurè Deum, ſeu Dei filium appellari poſſe. Mitti autem in mundum, ſecundum conſuetudinem ſcripturæ, non eſt naſci, ſeu ex aliquo loco, qui extra terrarum orbem ſit, in ipſum induci: ſed, poſtquam quis jam in orbe terrarum eſt natus, & adultus, muneri alicui re ipſa præfici, quod publicè inter homines ſit obeundum: ut Ioh. 17. v. 18. Hinc Chriſtus nativitatem ſuam ab adventu in mundum diſtinxit apertè, & hunc illi ſucceſiſſe indicavit Ioh. 18. v. 37. Et Paulus ad Gal. 4. v. 4. filium Dei natum ex muliere, miſſum dicit a Deo. Qua de re non eſt hîc pluribus diſputandi locus. Dices: quomodo igitur Chriſtus hoc loco adverſus Iudæos argumentatur? Eleganter ſanè, & ſatis validè a comparatis Chriſtus argumentatur, quamvis nullam divinæ ſuæ naturæ, quæ ab æterno extiterit, rationem habeat, nempe ad hunc modum: Si ſcriptura, cujus dicta reſcindi nequeunt, eos Deorum nomine appellare non dubitat, quibus mandatum fuit a Deo judicandi alios munus; quanto magis ego ſine blaſphemia profiteri poſſum, me Deum eſſe, non quidem illum ſummum, qui meus Pater eſt, ſed illius ſummi Dei ſingularem filium, quem a cæteris hominibus, & porrò a rebus creatis omnibus, diviniſſima atq; excellentiſſima ratione Pater ſegregavit, vitæq; immortali

mortali & beatissimæ humano generi & annunciandæ & re ipsa dandæ præfecit. Hæc enim est illa Christi sanctificatio, & in mundū missio. Itaq; locum hunc in adversarium ita retorquemus.

1. Qui est ita unum cum Deo Patre, ut nihilominus Pater major sit omnibus, ne filio quidem suo excepto, is non est unum essentiâ cum Patre. At Christus ita est unum cum Patre, ut nihilominus Pater major sit omnibus &c. Ergo Christus non est unū essentiâ cum Patre.

2. Qui propter sanctificationem & missionem in mundum ab alio profectam est Dei filius, ac porrò Deus, is non est unum essentiâ cum Deo Patre. Atqui Christus propter sanctificationem & missionem in mundū, ab alio, nempe Patre profectā, est Dei filius ac porrò Deus. Ergo Christus nō est unū essentiâ cum Deo Patre. *Major patet:* Quia Deus altissimus, etsi tandē sanctificari & in mundum mitti posset, quod absurdū est, priusquam tamen sanctificetur, & in mundum mittatur, Deus revera est. Qui ergo per sanctificationem & missionē in mundum Deus efficitur, is essentiam diversam habeat necesse est a Deo summo. Deinde, quia fieri non potest, ut is qui sanctificatus, & in mundū a Deo missus est, sit ille ipse, a quo est sanctificatus & missus.

3. Qui non alia ratione se profitetur Deum, quàm quòd sit Dei filius, is non est ille Deus altissimus, cujus est filius. Atqui Christus non alia ratione se profitetur Deum, quàm quòd sit Dei filius, ut ex responsione ad objectionem Iudæorum patet. Ergo non est ille Deus altissimus, cujus est filius.

4. Addi potest & illud ex Psalmo, cujus verba allegat auctor Epist. ad Hebr. cap. 1. quæ Carmelita contra nos produxit, pro sua explicatione confirmanda: Qui ita est Deus, ut habeat Deum suum, is non est unum essentiâ cum Deo Patre. Atqui Christus ita est Deus, ut habeat Deum suum. Ergo Christus non est unum essentiâ cum Deo Patre.

5. Quem Deus ipsius unxit oleo exultationis & lætitiæ supra consortes ejus, is non est unum essentiâ cum Deo Patre. Deus enim altissimus ungi non potest, nec consortes ullos habet. Atqui Christum Deus ipsius unxit oleo exultationis & lætitiæ supra consortes ejus. Ergo Christus non est unum essentiâ cum Deo Patre.

His ita examinatis, videamus jam perorationem Carmelitæ. *Vidimus*, inquit, *Auditores ornatissimi, qualiter volebant Iudæi Christum lapidare propterea, quia se dicebat filium Dei æqualem Deo. Quæro ergo, quis dignus est lapidari? Christus? an ille qui dicit dignum esse Christum lapidatione, & benè fecisse Iudæos, habuisseq; rationem ac jus Christum*

stum lapidandi? Omnes dicent, non Christus; sed ille, qui dicit Christum esse lapidatione dignum. Atqui isti dicunt, Christum non esse naturâ filium Patris, & consequenter benè & jure fecisse Iudæos, qui volebant illum lapidare, omnium quippe judicio, si non erat verè filius Dei per naturam, (sicut isti dicunt) & nihilominus se talem faciebat, dignus erat lapidatione. Ergo revera isti dicunt Christum dignum esse lapidatione. Ergo multò magis ipsi erunt digni &c. ipsi sibi inferant consequentiam.

O invictam argumentationem, dignam sanè ex qua necessariò colligatur, Christi ministros esse lapidandos, imò ipsum adeò Christum, si Carmelitæ credimus. Respondemus autem ad eam breviter: nec Christum, nec nos ipsius servos, eo nomine, quod prætendit Carmelita, tantam pœnam esse commeritos. Non Christum: quia nusquàm professus est, se esse illum ipsum Deum quo ad essentiam, qui Pater est: imò hoc ipsum non obscurè negavit, cum se æqualem esse Patri, Patrem majorem esse omnibus, omnia sibi a Patre data esse, & se filium Dei professus est. Nec nos: quia Christum cum Patre unum esse, & quamvis homo naturâ sit, Dei tamen filium singularissimum, proprium, & unigenitum, Deoq; æqualem agnoscimus, & hac ratione verum Deum esse confitemur: non quia sit ille ipse Deus cujus est filius, sed quia a Patre sanctificatus, & in mundum missus. Itaq; parum laudabilis videtur zelus ille Carmelitanus, quem pietatis cujusdam prætextu velatum voluit, dum nos lapidatione dignos esse pronunciavit, & ad eam immanitatem exercendam, auditores vi illationis suæ, ut ipsi videbatur, speciosæ, adigere voluit, præsertim cùm illam non semel repetierit. Quæ quantum a spiritu Christi dissideant, & quàm proximè ad Iudæorum ingenium accedant, ex eo, quod Iudæi fecêre, perspicuum esse potest. Videmus, quo animo fuerint Iudæi in Christum, quia se filium Dei esse professus est, quamvis Patri omnem suam divinitatem acceptam referret, & propter sanctificationem ab ipso factam, inq; mundum missionem, sibi eam tribueret: videmus etiam quo animo sit in nos Carmelita cum iis, qui hunc ipsius modum agendi approbant. Quæro igitur, utri ex nobis Iudæorum, utri Christi vices sustineant, (eadem enim luditur comœdia, mutatis tantùm personis) utri Iudaico, utri Christi spiritu ducantur. Nos quidem Iudæorum vices sustinere non est verisimile: de nemine enim lapidando vel cogitavimus unquam, nedum ut hoc optemus aut urgeamus: imò eum, qui talem animum foveat erga hostem etiam infestissimum, in summo discrimine salutis suæ versari, nec Christianum

esse cre-

esse credimus. Igitur ipse Carmelita inferat sibi consequentiam. Spiritus Christi quinam sit, docent ipsius verba, docent opera. *Discite,* Matth.11.v.29.
inquit, *a me, quia mitis sum, & humilis corde. Multa bona opera ostendi* Ioh.10.v.32.
vobis ex Patre meo, propter quod eorum lapidatis me? Conviciis affectus, ait Petrus, *non conviciatus est, perpessiones sustinens, non minabatur, sed causam suam commisit justè judicanti.* 1 Pet.2.v.23.
Iudæorum spiritus quinam fuerit, docent similiter ipsorum verba, quibus blasphemias, dæmonia, hæresin Samaritanam, aliaq; his similia crepant, nullo Christi merito. Docent opera eorundem: cum enim Christum nullius erroris coarguere possent, de ipso lapidibus obruendo sedulò cogitârunt, non secundùm regulam legis a Deo traditam: sed secundùm hostilis odii in Christũ, suiq; affectus, propriæ gloriæ studio inflammati, præscriptum. Christianorum arma non sunt carnalia, sed potentia Deo 2 Cor.10.v.4.
ad munitiones evertendas &c. Iudæi, cum non possent armis spiritualibus veritati resistere, ad arma carnalia confugiunt. Num Christus aliquem unquam lapidasse legitur, aut lapidari permisisse, ne dum ad hoc faciendum ulla ratione hortatus esse? An non ad omnium suorum adversariorum objecta verbis, & non lapidibus, respondit? An non pro suis interfectoribus etiam oravit? Et discipulis suis, qui ignem de cælo Eliæ instar descendere optârunt super eos, qui Domi- Luc.9.v.54, 55, 56.
num hospitio recipere noluerunt, ait: *Nescitis cujus spiritus sitis: Non venit filius hominis ut perdat, sed ut conservet.* O utinam Carmelita cognoscat cujus sit spiritûs, & tempestivè resipiscat! At verò acriorẽ & vehementiorem disputandi modum adhibitum a D. Stephano Protomartyre, adversus Iudæos disputante, cujus in præfatione sub nomine Illustriss. Ducis in Czartoryisko edita meminit, excusare hunc suum zelum credit Carmelita. Itane verò? Stephanus scil. cum Iudæis disputans ad lapides provocavit? An potiùs pro ipsis oravit? Act.7.v.ult.
Domine ne imputes illis hoc facinus. An fortasse Beata Virgo Maria, ex cujus ordine se vult censeri Carmelita, aliquod specimen unquam hujusmodi immanitatis prodidit, an potiùs mansuetudinis & demissionis exemplo, pietatis studiosis præluxit? Sed mavult Carmelita Beatam Virginem Mariam divino cultu, contra divinæ voluntatis præscriptum venerari, quàm in præclaris virtutibus, ob quas ipsius memoriam sanctissimè colere debebat, illam imitari. Nec ulli fortasse plus ab ipsius morum sanctitate dissident, quàm qui ejus gloriæ & honori plurimùm se favere, præ se ferunt. Nos sanè dum ita nobiscum agunt adversarii, mirificè in veritate, cujus luce irradiati sumus

 Christi

Christi beneficio, confirmamur, & armis spiritualibus adversus hujusmodi insultus nos armamus, parati Deo juvante, pro asserenda vera Christi divinitate omnia perpeti, quæcunq; Dominus permiserit. Interim verò monemus Carmelitam, ne credat, hujusmodi corporeis armis animum hominis veri cupientissimum, & conscientiam pacis ac tranquillitatis studiosam, expugnari ulla ratione posse, ac proinde parùm gratum se officium Deo præstare, (qui unicè spiritum
Ioh.4. quærit, cùm & ipse sit spiritus) dum talia molitur. Spiritus hominis ancipiti illo spiritus gladio, qui est verbum Dei, adoriendus est, (nam lapides ad eum non pertingunt) & quemadmodum cogitatione gladium materialem vincere impossibile est: ita gladio vel missili fidem alterius velle expugnare nõ tantùm pietati, sed ipsi etiam sanæ rationi inimicum est. Dominus Iesus ne imputet hunc lapsum Carmelitæ, spiritumq; modestiæ & mansuetudinis ipsi largiatur.

Sequitur in Carmelitæ verbis: *Expectaßem planè, ut judicarentur isti, nisi viderem, juxta Evangelium, jam ipsos judicatos esse.* Sed quid habet Carmelita, quo probet, nos juxta Evangelium jam esse judicatos? *Ab ipso Christo,* ait, *Ioh.3. dicitur: Qui non credit, jam judicatus est; quia non credit in nomine unigeniti filii Dei.* Ergo & qui omnem spem suam collocat in Christo Iesu, eiq; pro virili obedire annititur, quod nos ipso juvante facimus, jam judicatus est? Videamus tamen, quàm speciosè verba Christi ad nos condemnandos torqueat. *Statim me expedio,* inquit. *Non poßum tamen non ponderare hæc verba, Iam judicatus est, inquit. Quare? quia non credit in nomine unigeniti filii Dei, Quinque verba, quinque argumenta sunt contra adversarios.* Satis liberaliter numerat Carmelita, & quinq; argumenta comminiscitur, ubi ne unum quidem reperire potest. Primum argumentum est ex voce *In* petitum: *Non credit In. Nullus,* ait, *gnarus linguæ Latinæ, nisi vel stultus, vel blasphemus dicet unquam, credo In creaturam, sed credo In unum Deum.* Nimirum Latinè Christus loquutus est; ideoq; ex Latinæ linguæ idiotismo judicium certissimum de hujusmodi loquendi usu fieri par est. Sed hoc levius est. Illud velim expendas, cordate lector, quantum possit præjudicata opinio. Si stultum & blasphemum est di-
Exod.14,31. cere, *credo in creaturam*, peccarunt Israëlitæ, quòd non tantùm in
2 Paral.20.v.21. Deum, sed etiam in Mosen servum ejus crediderint, & Spiritus sanctus non rectè, ut in Prophetas crederent, eos hortatus est. Ergo non
Ioh.3,14,15. est, quod is, qui *in filium hominis* credit, sibi vitam æternam polliceatur: quamvis Christus id promittat expresse. Itané audebit Carmelita Chri-

ta Christo & Spiritui sancto stultitiæ vel blasphemiæ crimen impingere? Quid quòd ipse cum sua Ecclesia in sanctos credit? quod non tantùm ex invocatione, quam ad eos dirigit, patet, sed etiam ex eo, quòd Pontificii scriptores, iiq; non postremæ authoritatis, ut Bellarminus & Wujekus hoc expressè doceant. Ac Bellarmini quidem verba sunt hæc: *Sicut Deum nostrum non potest invocare ut Deum, qui in eum non credit, id est qui eum non credit esse Deum: & qui ei non credendo, in eum non sperat, nec eum diligit: ita etiam non poße eum sanctos invocare, ut sanctos & amicos Dei, qui suo modo in eos non credit, id est, non credit eße sanctos, nec in eis sperat ut in Patronis, nec eos ut tales diligit.* Contr. gener. 7. l. 1. c. 20. Nec a Bellarmini sententia abit Vujekus, in notis suis super Epistolam ad Philemonem, editioni Polonicæ N. T. appositis. Prætereo illa loca, quæ *in lucem*, nempe veritatis Evangelicæ, & *in testimonium Dei* nobis credendum esse docent, ne fortè vi veritatis compulsus, fateatur Carmelita, posse credi in id, quod Deus non est, imò ne personа quidem, dummodo non sit creatura. *At isti*, ait Carmelita, *credunt Christum esse creaturam.* An id non credit Carmelita, quamvis Christum verum hominem esse fateatur? Potest né homo verus esse increatus? *Ergo non credunt in ipsum.* Igitur nec Carmelita credit in Christum, quia credit ipsum esse creaturam. Nam si dicat, se non tantùm creaturam, sed etiam Deum esse Christum agnoscere; primùm assumptio paulo aliter ipsi formanda fuit: deinde, idem & nos facere meminisse debebat, quamvis divinitatem ex gratia datam, non verò per naturam sive essentialiter in ipso existentem agnoscamus: nec nos ideò in Christum credimus, quia homo sit, vel creatura, sed quia homini illi tanta potestas, & imperium verè divinum a Patre datum est. Nam si homo ille Iesus Nazarenus in tanto apud Deum est honore, ut ad dexteram ipsius sit collocatus, quo loco nullus est in aula cælesti honoratior & superior: cur nos pudeat ipsi confidere, eumq; divino cultu venerari? præsertim cùm Pater id præceperit, & quicquid filio ipsius, honoris tribuitur, id tanquam in se profectum ultrò agnoscat. Cùm igitur imperitè admodum, nec fortasse sine blasphemia, non a judicio sed ab affectu plus satis calido profecta, adversus scripturæ suæq; Ecclesiæ authoritatem asserat, *in creaturam credere*, stultè vel blasphemè dici, perperam adversus nos infert hujusmodi conclusionem. Si dicat, posse quidem dici, quòd in creaturam credamus, sed diversa ratione ab ea, quæ Deo competit: primùm in eo est reprehendendus, quòd, ut veritatem oppromeret, absolutè

Ioh. 12. v. 36.
1 Ioh. 5. v. 10.

absolutè & simpliciter id pronunciârit, quod secundum quid tantùm acceptum, verum esse credit. Deinde, hoc nihilo ipsius causam meliorem reddit, nisi priùs probetur, sensum, quo dicitur quis credere in Christum, ejusmodi esse, qui non nisi uni illi Deo possit competere. Tum hac ratione nos a stultitiæ & blasphemiæ crimine vindicat. Nam cùm nos ultrò fateamur, tantum differre rationem fidei, quam in Christo collocamus, ab ea, quæ in ipsum Deum dirigitur, quantum secunda salutis nostræ causa a prima & principali, & intermedius fidei nostræ finis a fine extremo distat: axioma Carmelitanum, si ad hunc modum limitetur, nos non ferit. Ferit autem ex parte ipsum Carmelitam, qui nullam ejusmodi differentiam inter Deum & Christum, rationemq; fidei, quæ utriq; debetur, agnoscit: cùm tamen Christus ex-
Joh.12.v.44. pressissimè eam nos docuerit, in illis verbis: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me*: quæ sola ad totum hoc Carmelitanum sophisma debellandum sufficiunt. Nam & credendum esse in Christum omnino docent, & nihilominus discrimen, quale suprà ostendimus, inter Deum & Christum, fidemq; utriq; debitam, demon-
1 Petr.1.21. strant. Quod etiam Petrus indicat, dum ait, *nos per Christum credere in Deum*, ut e Græco contextu locus reddendus est. Quodsi Carmelita Christo potiùs, quàm suæ Ecclesiæ parere vellet, in Christum quatenus est Deus ille unus, credendum esse nunquam diceret. Nam Christus non tantùm in Deum illum unum, sed etiam in filium hominis vult eos credere, qui servari cupiunt. De Deo nullum est dubium; de filio hominis loquitur apertè locus Ioh.3. v.14,15, suprà adductus. Respondebit hîc, per communicationem idiomatum id humanæ naturæ tribui, quod divinæ propriè competat. Ego verò: Primò, non humanæ naturæ Christi, quam intelligit adversarius, sed humanæ personæ eam fidem deberi. Nam filius hominis non est persona a naturâ humanâ sejuncta, sed est ipsa persona humana. Secundò, communicatio ista idiomatum nititur falsa, vel saltem dubia hypothesi duarum naturarum, quæ suprà a nobis refutata est. Ergo & ipsa dubia est. Tertiò, admissis etiam duabus in Christo naturis, communicatio idiomatum, qualem fingunt adversarii, admitti non potest. Quamvis enim, quod totius est proprium, parti interdum tribui possit, & contrà, quod partis, toti: non tamen quod uni parti propriè competit, alteri tribui unquam in sacris literis, vel etiam in communi loquendi usu, invenias. Nec enim quisquam rectè dixerit, animam hominis rationalem esse edacem, bibacem, somnolentam, longam, mortalem esse,

quia corpus, vel homo secundùm corpus talis sit: aut vice versa, corpus hominis esse ingeniosum, eruditum, pium, vel simile quidpiam, quia animus hominis, vel ipse homo ratione habita animi sui, valeat ingenio, & eruditione atq; pietate sit excultus. Quo exemplo ideò libenter utimur, quia adversarii ex duabus naturis perinde censent Christum conflatum, ut homo ex corpore & anima: quamvis alioqui differentias non paucas hîc eos comminisci oporteat. Cùm itaq; fides, de qua Christus hoc loco agit, ad solam divinam naturam propriè spectet ex mente adversariorum, non potest nec debet filio hominis tribui, ne per communicationem idiomatum quidem. Atqui Christus eam requirit omnino. Ergo Carmelita a Christo dissidet, proindeq; audiendus non est. Sed & ipse Carmelita diffisus particulæ *In* separatim consideratæ, advocat in auxilium locum Ioh. 14. v. 1. *Et ubi est*, inquit, *illud Ioh.* 14. *Creditis in Deum, & in me credite?* Respondeo. 1. verba hæc Carmelitæ minimè favere: is enim inter Deum & Christum quo ad essentiam non distinguit, cùm Christus hîc apertissimè se ipsum ab illo uno Deo distinguat, & ostendat alium esse Deum illum unum Israëlis, in quem Apostoli jam credebant, & alium eum, in quem ut crederent, præcepit, nempe ipsum Christum. Nobis autem tantum abest ut verba ista adversentur, ut potiùs mirum in modum faveant. Nos enim inter Deum & Christum hoc ipsum discrimen ita agnoscimus, ut non solùm in unum illum Deum, sed etiam in Christum ejus credamus, tanquam non personâ tantùm, verùm etiam essentiâ ab illo uno Deo distinctum. Egregiè igitur inter hunc Christi sermonem, & nostram confessionem convenit: inter opinionem verò Carmelitanam & Christi, magna est dissensio. Cùm autem hîc de credendo in Christũ agatur, ad humanam Christi naturam, secundùm quâ Christus hoc loco se ipsum a Deo distinguere dici possit, confugere frustra est. Necesse enim est hîc Christum de se, quantus quantus est, verba facere. Præterea, cùm Deus, in quem Apostoli jam credebant, sit ille unus Deus Israëlis absolutè, certum est, eo in loco unum Deum indistinctè atq; absolutè intelligi debere, nec posse negari, quin Christus ab illo uno Deo distinguatur, & consequenter, quin Christus nequaquam sit ille unus Deus. Deniq; quòd illius unius Dei nomine, cum articulo absolutè atq; indistinctè prolato, ut alibi creberrimè, ita & hîc Pater tantùm Christi intelligatur, vel hoc satis indicat, Patrem tantùm esse illum unum Deum. Verùm Carmelita per consequentiam, quâ Christi verba niti opinatur, id vult

obtentum, quod per ipsa Christi verba obtinere nulla ratione potest. Pergit enim: *Ista consequentia Christi in quo fundatur, nisi in unitate naturæ, & potestatis?* Respondeo, & primùm nego, ullam talem consequentiam esse in verbis Christi, quod pro concesso absq; probatione sumit Carmelita. Possunt enim verba Christi extra omnem rationem consequentiæ pro simplici & nudo Christi præcepto accipi, nō quasi Christus dixerit: In Deum creditis; Ergo & in me credite: sed quasi simpliciter præceperit, ut in ipsum crederent, quemadmodum antea in Deum Israëlis crediderunt. Rationes verò cur in Christo sit fides collocanda eo modo, quem suprà exposuimus, quemadmodum in Deo Patre ipsius, partim alibi sæpe a Christo sunt indicatæ, partim in hoc ipso capite exponuntur. Sunt autem duæ potissimùm: Christi intensissima erga nos charitas, atq; salutis nostræ studium ardentissimum; &, quam interventu discessus sui per mortem & ascensionem in cælum consequutus est, plena nos servandi potestas: quorum utrumq; *præparatione loci in domo Patris* pro ipsius discipulis continetur. Sensus igitur verborum Christi est: Ne despondete animum, discipuli mei, quòd a vobis sim discessurus, & mortem cruentam oppetiturus, moxq; ad cœlum migraturus: sed quemadmodum Deo hactenus confiditis, ita in posterum mihi confidite. Ego namq; vestro bono a vobis discedo: ut videlicet vobis potestate a Patre super omnia, interventu mortis vestri causâ susceptæ, obtentâ, præparem locum in cælo, quod est domus Patris mei. Tertiò, demus in his ipsis verbis per se consideratis esse consequentiam aliquam. An non ea habebit solidum fundamentum cui innitatur, extra rationem unitatis essentiæ, secundùm quam idem sit Christus cum Deo? An non sufficiet paritas potestatis, quæ est inter Deum & Christum? An non dum Christus in terris viveret, sufficiebat ad fidem in ipso collocandam ea ratione, in qua Deus acquiescebat, quòd fuerit a Patre ita missus, quemadmodum alius nemo? An non jurè negari potest, eum in
Ioh. 6. v. 27. Deum ipsum credere, qui post revelatum Evangelium non credit in eum, quem Deus obsignavit? cùm fides in Deum salutifera, fide in Christum vera contineatur: & qui in Christo fiduciam non collocat, is ipsi Deo non confidat, sed mendacem eum faciat, ut ait Ioh. 1. Epist. c. 5. v. 10. quia non credidit in testimonium, quod testificatus est Deus de filio suo. Cùm igitur hanc doctrinam admittamus, quamvis sensum Carmelitanum Christi verbis repugnantem admittere non possimus, nec velimus; non veritatis & æquitatis studium, sed animus nobis mi-

bis minùs æquus hæc verba suggessit Carmelitæ, quæ hìc apposuit iterum: *Ergo jam judicati sunt, quia non credunt in nomine unigeniti filii Dei.*

Secundum argumentum est ex voce *Nominis*, non minùs affectatè quàm captiosè & falsò conclusum. Nam cùm ex sola voce *Nominis* hoc loco usurpata se velle argumentari præ se ferat Carmelita, confugit ad locum Matthæi 28. v. 19. ubi Christus discipulos suos vult baptizari in nomen Patris, Filii, & Spiritus sancti; vultq; Carmelita, quia hoc nomen, cujus fit mentio Ioh. 3. v. 18. sit idem cum eo, cujus fit mentio Matth. 28. v. 19. Christum esse eundem Deum qui Pater est. Cujus argumenti consequentia quàm sit infirma, quis non videt? In Antecedenti verò dico ludere Carmelitam, interim tamen vim veritatis effugere non posse. Nam hoc nomen esse illud de quo apud Matthæum sermo est, ambigua est enunciatio, quam neq; necesse est omnino concedi, neq; prorsus negari. Si enim *nomen* pro nomine Christi accipiatur, quod est Filius, vel si hæc enunciatio ita intelligatur, quòd eadem sit vis istius vocis *Nomen* hoc loco, quæ ibi, admitti potest & debet: at verò quia vi verborum Carmelitæ, absolutè nec satis circumspectè prolatorum, pro omnibus illis tribus nominibus Patris, Filii, & Spiritus S. accipere quispiam posset vocē *Nominis*, non tantùm negari potest, sed etiam omninò debet, hoc nomen esse illud: nisi velimus absurdè dicere, unum nomen esse tria nomina, vel contrà. Quòd si nomen pro voce Dei vel Deitatis accipiat, ut infrà seipsum explicat, cùm nullam opinionis suæ rationem afferat, quid cogit, ut ipsi applaudamus? Neq; enim sequitur: Hoc nomen est idem cum illo. Ergo est nomen Dei, vel Deitatis, ut ipse loquitur. Quid si enim sit nomen Domini, vel Spiritus S., vel simile quoddam? Sed his omissis, dico, in eo potissimùm falli vel fallere Carmelitam, quòd vocabulum *Nominis*, ab integra phrasi scripturæ separatum, quæ est, *in nomen alicujus* quidpiam facere, ita accipiat, ac si per se considerari deberet, & quiddam peculiare, ab eoq; ipso distinctum, in cujus nomen aliquid fit, significaret. Atqui vocem *nominis* in utroq; horum locorum, nihil necesse est aliquam propriam & singularem vim habere, quâ scilicet phrasis illa caritura fuerit, si vox ista abesset: cùm hæc loquutio, *in nomen alicujus baptizari*, &c. *in nomen alicujus credere*, tantundem significare possit, quantum, si dicatur, *in aliquem baptizari*, vel *in aliquem credere*. Cui rei argumento est, quòd non tantùm *Nomen* alicujus rei, pro ipsa re usurpari consueverit, sed

Act.8.v.16. Rom.6.v.3. Gal.3.v.27. Ioh.3.v.15,16, & 18. 6. v.35, & 40, 47. 9.v.35. Gal. 2. v.16.

etiam, quòd phrasis ista, *baptizari in nomen Christi*, alibi ita efferatur, *baptizari in Christum*: &, *credere in nomen filii Dei*, alibi dicatur *credere in filium Dei*. Ineptissimè igitur infert Carmelita. *Ista unitas nominis ubi est apud adversarios, qui dicunt non esse idem nomen Deitatis in omnibus his tribus, sed Patrem habere majorem Deitatem & a natura, filium verò minorem, & per gratiam, non ab æterno? Ergo isti credunt in nominibus, non in nomine unigeniti filii Dei.* Nã Matthæi & Ioannis loca non docent, unum esse nomen Dei & Christi: imò apertè inter utriusq; nomen distingvunt, dum Deum *Patris*, Christum verò *Filii Dei* nomine nuncupant; & si docerent, nos salvâ nostrâ sententiâ id rectè explicatum concedere possemus: ut quidem concedimus unam eandemq; vim habere vocem *nominis* hoc in loco, quam in illo. Sed & illa collectio non admodum Carmelitæ ingenium commendat, præsertim disputantis cum adversario: In singulari numero fit mentio nominis, non verò nominum in plurali. Ergo de uno nomine est sermo: sive, Ergo unum est nomen horum trium. Ita enim ex sententia Carmelitæ formanda esse videtur ipsius ratiocinatio: quemadmodum & altera: Vnitas nominis indicatur: Ergo non aliud quàm unum nomen Deitatis. (Nota iterum obiter terminum Carmelitanum, qualem nobis suprà affinxit) Quis non videt citra hujusmodi inane Carmel. somnium potuisse eleganter & rectissimè dici, *in nomen*, non verò *in nominibus* vel *in nomine*, quamvis horum trium diversa essent nomina, ut etiam revera sunt, & quamvis non haberent ea ratione nomen commune, vel planè idem, quemadmodum placet Carmelitæ. An non tales loquendi modi passim sunt obvii, quamvis nihil simile Carmelitanæ collectioni ex iis deducere liceat. ut si dicam: In nomine Petri, Pauli, Ioannis, hæc facta sunt. Ergo ista tria nomina erunt unum idemq; nomen. Quòd si rem diligentiùs excutere velimus, & tres personas in una essentia divina ex mente Carmelitæ considerare, quid vetat, nisi sermonis consuetudo & elegantia, quominus æquè dici potuerit, *in nominibus*, vel *in nomina Patris, Filii, & Spiritus S.*? Quemadmodum enim respectu Deitatis unum habent nomen, ita respectu personarum sunt tria nomina. Sed ut appareat, quàm infirma sit argumentatio Carmelitæ, concedamus, nomen hoc non tantùm eandem vim habere hoc in loco, quam habet in illo, sed etiam planè de nomine Dei esse accipiendum. Quid hinc colliget Carmelita? Num hoc, Patrem non esse majorem filio, nec filium esse minorem Patre, ratione Deitatis? Non enim posset utriq; unum

num idemq; Dei nomen accommodari. At quis nescit, unum idemq; nomen diverso significatu pluribus tribui posse; aut si eodem significatu tribuatur, non esse necesse ut diversa sint eadem numero, nec ullis gradibus qualitatum inter se differant? Hic homo, hæc bestia commune habent nomen creaturæ vel animalis. Ergo sunt unum numero? Rex Hispaniarum, & Rex Angliæ habent idem nomen Regis: Ergo non est major ratione potentiæ, & latitudinis imperii ille quàm hic? Non est quidem magis ille Rex quàm iste: (ut nec homo magis est animal quàm bestia) sed tamen major dici potest. Taceo, quòd quamvis filius minor Patre dici possit, quatenus suam divinitatem non ab æterno nec naturâ habet, sed per gratiam: Pater verò major filio, quatenus naturâ & a se ipso, atq; ab æterno Deus est; & ex sententia ipsorum adversariorum, quatenus Pater est fons divinitatis, Filius a Patre principium originis ducit: non tamen simpliciter asseverare necesse est, Patrem habere majorem Deitatem, Filium verò minorem; cùm, ut suprà ostendimus, Filius æqualis Patri, & unum cum Patre, ratione ejusdem potestatis divinæ, dici meritò possit & debeat; quatenus videlicet in negotio salutis Christi fidelium tantum possit Filius, quantum Pater. Viderit igitur Carmelita quàm appositè concludat: *Ergo isti credunt in nominibus, non in nomine unigeniti filii Dei.* præsertim cùm certum sit, quòd, etsi tandem verissimum esset, essentiam Patris & filii esse eandem numero, & hanc ipsam identitatem, ut loquuntur, essentiæ hîc intelligi: ineptissimè tamen colligeretur, nos credere in nominibus, non in nomine filii Dei. Vnum enim nomen nostra sententia nihilominus tam Patri quàm Filio tribuit. Et tamen ex hujusmodi fallacissimis conjecturis adversus nos audet decretum tale ferre Carmelita: *Ergo jam judicati sunt, quia non credunt in nomine.*

Tertium argumentum est ex voce *Vnigeniti*, cui præmittit locum Ioh. 1. v. 18, & voce *Vnigeniti* suspensa, ex phrasi illa, *qui est in sinu Patris*, argumentari incipit, ratus eam idem valere, quod, qui est in eadem divinitate, id est, divina essentia cum Patre. Hoc nos negamus: nec est ulla ratio, quamobrem id admittere teneamur. Quamvis enim Deus materialem sinum non habeat, non tamen sequitur, per *sinum* essentiam ipsam divinam significari. Potest enim hæc phrasis, ut aliàs, ita etiam hoc loco perinde accipi, ac si dictum fuisset, qui est Deo Patri longè omnium charissimus: ut indicant hi loci Devt. 13. v. 6. 2 Reg. 12. v. 13. Ioh. 13. v. 23. & 21. v. 26. Non posse verò ita eam accipi, ut vult

ut vult Carmelita, argumento est, quòd alium eum, qui est in sinu alterius, alium verò eum, in cujus sinu est, essentialiter esse necesse est: Nihilominus tamen Carmelita ferit nos suo fulmine: *Ergo isti qui non credunt in hunc unigenitum, qui sit in sinu*, & cùm nos verbis Spiritus Sancti solis non percuti animadvertisset, suo commentario pontificio nos premit, *id est in eadem divinitate cum Patre; jam judicati sunt, quia non credunt in nomine Unigeniti*. Sed redit ad vocem *Unigeniti*, ex qua sola argumentari se velle præ se tulerat. *Unigenitus*, ait, *est ita genitus, quemadmodum nemo alius. At per ipsos Christus est genitus per gratiam & adoptionem non aliter quàm alii sancti. Ergo apud ipsos non est Unigenitus*. Respondeo: Majorem concedo; Minorem nego, aut certè distinguo. Quamvis enim non aliter possit dici Christũ esse genitũ, quàm per gratiam: tamen cùm in ista gratia multiplex possit dari differentia, ut antea ostendim⁹, captiosè affirmat Carmelita de nobis simpliciter, quasi dicamus, Christũ non aliter esse genitum, quàm alios sanctos. Docuimus enim suprà, Christum eo modo a Deo esse genitum, qui nulli prorsus rei creatæ competit. Quod ipsius admirabilis conceptio, inaudita antehac nativitas, omnibus numeris absoluta innocentia & sanctitas, gloriosa resurrectio, & eam consequuta beata immortalitas, vereq; divina sapientia, potentia, majestas, atq; imperium, a quo solus Deus exemptus est, manifestissimè arguit. Quanquam ad ostendendum, Christum esse unigenitum Dei filium, non est necesse eum cum ulla creatura comparari, præterquam cum iis, quos ipse fratres suos appellare non erubescit, quia ex eodem patre sunt geniti. Quemadmodum enim Isaacus, qui Christi typus fuisse meritò censetur, propterea unigenitus filius Abrahami est appellatus, quia pluribus modis fratrem suum Ismaëlem ex eodem patre genitum antecellebat: ita & Christus, qui fratribus suis ex eodem patre genitis, infinitis modis eminet, meritò vel ob id ipsum unigenitus appellatur. Potissima tamen hujus nominis *Unigeniti* in Christo causa videtur esse, singularissima illa Dei Patris dilectio, quâ Christum præ cæteris omnibus complexus est: quemadmodum Salomon dicit se fuisse unigenitum coram matre sua, nempe quia præ cæteris matri fuit charissim⁹. Adde quòd quemadmodum Isaacum verisimile est ideò unigenitum Abrahami filium appellatum, quòd solus ei in universa hæreditate successurus erat: sic Christus unigenitus Dei filius est dictus, quia solus universorum hæres fuit a Deo constitutus, & sicut in Isaac tantùm vocandum erat semen Abrahamo: sic in solo Christo semen

Heb.2.v.11. Gē:22.v.2.& 12. Heb.11.v.17. Proverb.4.v.3. Gal.4.30. Hebr.1.2: Gen.21.12. Gal.3.17.

lemen filiorum Dei vocandum fuit; quod ad unigeniti appellationem alicui tribuendam non minimi esse momenti, nemo opinor negaverit. Quare ad calumniam illam sæpiùs a nobis detectam, quòd per adoptionem, perinde atq; alios sanctos, Christum filium Dei esse credamus, & audacem condemnationem, in qua seipsum toties imitatur & exprimit Carmelita, non est quod quicquam ampliùs separatim respondeamus.

Quartum Argumentum est ex voce *Filii:* quod loco ad Rom:8. v.32. & Ioh 3. v.16. fulcire conatur: vel potiùs ex ipsis his locis adversus nos argumentatur. Sed si demas calumniam ex ipsius verbis, nihil supererit præter arrogantem nostri condemnationem. Calumniatur autem suo more Carmelita, dum assumit, nos non credere Christum esse filium proprium, sed adoptivum; nec Deum dedisse filium suum unigenitum, sed primam creaturam. Sed dum Carmelita proprium opponit adoptivo, ostendit se non intelligere, qua ratione sacra scriptura tum *adoptionis* tum *proprii* vocem usurpet. Cum verò nos credentes facit, Christum esse primam creaturam; si de vetere creatura loquitur, declarat, se nostram confessionem de Christo non percepisse, ideoq; eam cum Arianorum opinione imperitè confundit: sin verò de nova creatura loquitur, inscitiam suam prodit, qui eundem Christum tam unigenitum Dei filium, quàm primogenitum omnis creaturæ, diverso respectu appellari posse, e sacris literis non didicerit. De adoptionis voce suprà dictum est, & ostensum, eam ita in sacris literis accipi, ut iis, qui revera sunt filii Dei, non verò pro filiis tantùm habentur, accommodetur. Vox verò *Proprii*, præterquam quòd non sit ita hoc loco posita, ut fieri solet cùm opponitur Metaphorico, (dicitur enim hoc loco, *filio proprio*, non autem *filio propriè dicto;* nec additur pronomen *suo* quod ad hanc significationem exprimendam requiri videbatur) in novo Testamento nunquam Metaphorico opposita invenitur. Quoties autem usurpatur, non habet aliam vim majorem quàm interdum significandi aliquid omnino suum, id est, quale nemo alius habeat, ut 1 Cor. 15. v.38. sæpissimè verò simpliciter *suum*, aut *suum ipsius*, id est, non alienum, Heb. 9. v.12. & 1 Cor. 6. v.18. ubi vocem Græcam, quæ proprium sonat, Latinus interpres reddidit voce *suum*. confer etiam v.20. cap.15. Marci cum Matth. c.27. v 31. Quæ cùm ita sint, nihil vetat, quominus utraq; voce in eum sensum, qui in sacris literis reperitur, acceptâ, unus idemq; possit dici & proprius & adoptivus filius Dei, quamvis quoad

naturam

naturam nihil sit aliud quàm homo. Quemadmodum etiam unus idemq; potest esse unigenitus Dei filius, & prima creatura, sive primogenitus omnis creaturæ, nempe novæ: Vnigenitus, quia solus ea ratione est genitus, quâ præter ipsum nemo. Primogenitus omnis creaturæ, quia omnem creaturam novam ut tempore, ita dignitate antecedit, ita tamen ut ipse sit creatura. Vsus enim perpetuus sacrarum litterarum (quarum propria est hæc phrasis) deprehenditur esse, ut is, qui aliquorum dicitur esse primogenitus, sit ex numero ipsorum: ut primogenitus fratrum, mortuorum, &c. Vnde etiam Christus principium creaturæ Dei dicitur, Apoc.3. v.14: ut declaretur, Deum in creando (novam creaturam scilicet) initium a Christo fecisse: quicquid interpretes, & explanatores hunc locum aliter aut vertant, aut exponant. Et hoc sensu dici potest, Christum esse primam creaturam, hoc est, tempore & dignitate reliquas omnes antecedentem; non obstante eo, quòd sit unigenitus Dei filius, imò non obscurè huic veritati suffragante. Non est autem omittendum, adversarium talia loca in hoc argumento ad suam calumniam colorandam produxisse, quibus vix ulla aptiora ad nostram sententiam confirmandam, Carmelitæ autem opinionem labefactandam afferri possunt. Nam si

Rom.8.v.32. is est proprius filius Dei, cui Deus non pepercit, sed pro omnibus tra-

Joh.3.v.16. didit illum; si is est unigenitus, quem Deus dedit, (nempe in mortem)

v.14. quem suprà filium hominis, qui serpentis Mosaici instar exaltari debebat, appellavit; certè nullo modo is esse potest, quem Carmel. somniat. Nam qui ex essentia Patris est genitus ab æterno, & qui est ille unus Deus quoad essentiam cum Patre, ei Patrem pepercisse confitebitur ipse, ut opinor, Carmelita: (Non enim potuit non parcere essentiæ suæ divinæ, & personæ Christi impatibili) hic nec in mortem tradi, nec in crucem agi poterat. At verò illi, qui e Spiritu S. conceptus, & ex Maria virgine natus est, qui fatente Carmel. verus homo fuit, hæc omnia verè & propriè (non per communicationem nescio quam idiomatum, sacris litteris incognitam, & sanæ rationi adversam) competunt. Ergo hic & non ille est proprius & unigenitus Dei filius. Parum igitur se nobis æquum præbet judicem Carmel. cum iterũ occinit: *Ergo jam judicati sunt, quia nõ credunt in nomine unigeniti.*

Quintum Argumentum est ex voce *Dei*, in quo nimis apertè suam affectatam subtilitatem ostentat. Quanquam & in superioribus idem ferme ipsi accidisse dici potest. Nam ex vocibus istis separatim consideratis, *In, nomine, Vnigeniti, Filii*, aliquid tale velle concludere,

ut vult

ut vult Carmelita, quid aliud est, quàm seipsum eruditorum ludibrio exponere? cùm priores duæ voces per se nil tale arguant, posteriores etiam contrarium evincere possint. Vox verò ipsa Dei, de Patre absolutè, & cum articulo, ut ferè solet, enunciata, nonné indicio est, neminem alium præter solum Patrem esse illũ verũ Deum? Sed circumspicit, an aliunde non appareat aliquid subsidii, & locum Ioh. 5.18. & Philip. 2. v. 6, in aciem producit, ex quibus se evincere posse putat, nos non credere in verum Deum, quia nimirum non credamus in hunc Deum, cui æqualis sit Filius, imò qui verè non habeat filium naturalem ac verum. Sed in eo non tam fortasse nobis quàm sibi ipsi magnam facit injuriam, & existimationi suæ non bene consulit. Æqualitatem Christi cum Deo, seu Filii cum Patre agnoscimus in operando; non illam Iudaicam vel Carmelitanam, sed quam ipse Christus apud Ioh. cap. 5. v. 19 exposuit, quatenus Filius eadem facit, quæ Pater. Minorem tamen aliquatenus esse Filium Patre negare non audemus, ne videamur ipsi Christo crimen falsi impingere. Nam & alibi Patrem omnibus, imò ipso Christo majorem esse, expressè nos docuit, & hîc inæqualitatem inter se & Patrem suum indicans, dicit Filium nihil posse facere, nisi quod viderit Patrem facientem, id est, quod faciendi potestatem & jussum à Patre habuerit. Æqualitatem Christi cum Deo agnoscimus in divina illa potestate, quam Christus plenissimè est consecutus, non solùm in terra, sed in ipso etiam cælo: quæ tamen non minima ex parte in Christo adhuc mortali reluxit, ejusq; respectu in forma Dei fuisse Christus meritò dicitur. In admirandis enim ipsius operibus, &, quæ ipsi passim tribuebatur, adoratione, atq; opis Christi imploratione, ubi nihil humanæ vires valebant, evidenter apparuit. Minorem tamẽ eatenus esse Filium Patre, ideoq; non omninò & prorsus citra omnem exceptionem æqualem, docuit nos ipse Paulus hoc ipso in loco ad Philip. 2. partim dum Christum non rapinam arbitratum esse, quòd esset æqualis Deo, affirmat; partim dum seipsum exinaniisse, formamq; servi accepisse, in similitudine hominum factum, & habitu inventum ut hominẽ testatur. Nec enim fieri potuit, ut Deus Pater arbitraretur, se rapuisse naturã sive essentiam divinam, (quam hoc loco per *formã Dei* intelligit Carmel.) quemadmodũ sine ulla absurditate, vel scelere dici posset, fieri potuisse, ut Christus ita se gereret, ac si æqualitatem illam, quam habuit cũ Deo, rapuisset, eam videlicet mordicus retinendo, ut raptor aliquis rem, quam rapuerit, solet. Sed quia se eam non rapuisse, verùm ex

gratuito Dei dono habuisse agnovit, propterea sponte ad illius nutum a se deponendam duxit: & eo nomine nobis hoc loco ab Apostolo commendatur, & tanquam demissionis animi, quæ in nobis reperiri debet, exemplar singularissimum proponitur. Sed & alia non pauca, quæ hîc commemorantur, ita comparata sunt, ut in iis æqualitatem Filii cum Patre agnoscere adversarii non possint. Nec enim Pater seipsum exinanivit, nec formam servi assumpsit, nec factus est obediens usq; ad mortem crucis, nec humiliatus, nec exaltatus est, nec ei nomen supra omne nomen donatum est; quæ omnia ad perfectam æqualitatem requiruntur. Porrò Deum Patrem habere filium naturalem ac verum, quatenus revera Christus ab ipso genitus est, & ab ipso ortu suo neminem alium patrem habuit, quàm ipsum Deum, cujus non falsus & imaginarius, sed proprius reipsa est filius, jam sæpiùs clarissimis verbis professi sumus. Non habere autem talem filium, qualem nobis obtrudit Carmelita, qui ex essentia ipsius ab æterno sit genitus, persuasissimum nobis est: 1. Quia nihil de ipso in universis sacris literis usquam scriptum legitur. 2. Quia contrarium ex pluribus locis verum esse, non obscurè apparet. 3. Quia in Symbolo etiam, quod Apostolicum vocant, nihil de eodem reperitur. 4. Quia ipsi sanæ rationi, & deinde ipsorum adversariorum dogmatis hæc opinio adversatur. Quæ omnia partim per se manifesta sunt, partim ex suprà dictis apparent.

Præterea opinio adversariorum Deo Patri gloriam eripit; Christum propria divinitate privat; viam salutis nostræ, & spem resurrectionis ad vitam beatam & immortalem in nobis labefactat, difficiliorem, asperioremq; reddit, & nos in ea quodammodo retardat. Nam si Christus prorsus & per omnia est æqualis Patri suo, Pater non potest esse ulla ratione major Christo, nec erit ille solus verus Deus, ex quo omnia, nec Deus Christi, nec caput ipsius, nec quicquam gratiæ in Christum conferre potuit, nec virtute sua eum a mortuis excitavit, &c. Si Christus dicatur esse per omnia æqualis Deo Patri, adeoq; ille ipse Deus qui Pater est, nomen illud supra omne nomen ipsi donatum non est, quo tamen vera ipsius divinitas continetur; nec ipsi data est potestas judicium faciendi, quia filius hominis est, nec ad dexteram Dei collocatus est; nec ipsi adoratio debetur, quæ propter nomen supra omne nomen donatum deberi dicitur. Atq; ita sub prætextu majoris cujusdam gloriæ, & eminentioris divinitatis, quam Christus nunquam sibi tribuit, vera gloria veraq; divinitas, qua unicè

delecta-

delectatur, ipsi detrahitur. Si Christus omninò & absolutè esse Patri æqualis censeatur, inter primam & secundam salutis nostræ causam nullum erit discrimen, & exemplo Christi ducis fidei nostræ, quo nobis in via salutis præluxit, non parum virium decedit, quibus nos ad fiduciam in Deum, obedientiam, & perseverantiam in ea extimulare debebat. Quid enim mirum est, eum, qui præter humanam, divinam etiam naturam habuit, Deo perfectissimè confisum esse, eidemq; perfectissimè obedivisse, & ad mortem cruentam in voluntate ipsius exequenda perseverasse, (si modo in eum, qui Deus ille unus sit, quicquam tale cadere possit) cùm natura illa divina, individuo nexu cum humana copulata, humanæ naturæ semper subvenerit, nec fieri potuerit, ut illa tam arcta conjunctione humanitatis cum divinitate durante, Christus aliquid divinæ voluntati adversum unquam committeret: atq; ita virtuti & præmio propriè vix ullus in Christo homine locus relinquetur. Spes verò resurrectionis nostræ, quæ solùm vel potissimùm Christi resuscitati a mortuis exemplo nititur, quantam per hanc opinionem de Christo vim patiatur, & quàm facilè vi ipsius, si non planè tolli, certè imminui possit, ex eo liquet, quòd, si Christus naturâ Deus est, nec propriè & verè resurrexisse dici potest, nec, quatenus resurrexit, quicquam hinc ad nos ejus consolationis redit, qua unicè indigemus. Nam cùm natura Christi humana per se non subsistat, nec mori nec resurgere propriè potest, quemadmodum nostra natura per se subsistens propriè moritur. Quòd si tamen resurrexisse Christi humanam naturam extra rationem personæ concedamus aliqua ratione: hoc tamen non est illud, quo nostræ fidei imbecillitas veluti fulcro quodam sustentari cupit. Nam & qui propriè non est mortuus, is facilè resurgere potest, & qui post mortem tantum habet virium, ut non tantùm aliquid exiguum præstare, sed etiam, ut adversarii de Christo contendunt, seipsum propria & naturali virtute in vitam revocare possit, eum nihil mirum est resurrexisse, imò natura rei ita cogente, fieri nulla ratione potest quin resurgat. At verò eum, qui propriè & revera mortuus est, ita ut ampliùs nullus sit, (quamvis enim anima superstit, homo tamen sive compositum illud ampliùs non est) posse resurgere & resurrecturum, tantisper humana imbecillitas credere vix potest, donec exemplo personæ humanæ, non sua sed alterius virtute resuscitatæ, comprobetur. At nostra sententia non tantùm his omnibus incommodis vacat, sed etiam ipsorum loco incomparabiles fructus parit. Nam & Deo altissimo

ſimo Patri Domini Ieſu ſuam gloriam inviolatam, ſartam tectā conſervat; & Chriſto eam, quam revera habet, divinitatem tribuit; & viam ſalutis noſtræ longè expeditiſſimam reddit; & ſpem beatæ reſurrectionis mirificè corroborat, eaq; nos reficit ac recreat. Illa enim ſtante verum ſemper manebit, unum tantùm eſſe Deum, non tantùm eſſentiâ, ſed etiam perſonâ, quæ ab omni æternitate a ſeipſa extitit, Patrem nempe Domini noſtri Ieſu Chriſti. Huic ſoli totum illud acceptum ferendum eſt, quod habet Filius, & confitendum, quòd Ieſus eſt Dominus ad gloriam Dei Patris. Huic univerſa noſtra ſalus, tanquam fonti omnium bonorum adſcribenda, hujus poteſtas, ſapientia, juſtitia, bonitas, gratia, liberalitas potiſſimùm celebranda. Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Stante noſtra confeſſione, verum manet perpetuò, Chriſtum habere divinam poteſtatem in cælo & in terra, ac proinde verum Deum eſſe, ſuper omnia benedictum in ſecula; quia ſcilicet donatum eſt illi a Patre nomen ſuper omne nomen; quia omnia ab eodem ſunt ipſius imperio ſubjecta, & quia ad dexteram ejus eſt collocatus; & propter tantam ejus dignitatem, imperium ac majeſtatem, illi ipſi homini, concepto de Spiritu ſancto, & ex Maria virgine nato, illi agno occiſo, & in æternum viventi, cultum & honorem divinum deberi, quem ſcilicet Pater ipſius, qui id a nobis exigit, ſibi ipſi, cujus virtute & auctoritate Chriſtus ad tantum majeſtatis faſtigium eſt evectus, ipſo mediante auguſtiſſimè deferri agnoſcit, eoq; mirificè delectatur. Verum item manet, quòd cùm Chriſtus citra omnem naturæ divinæ, quæ cum humana in ipſius perſona conjuncta fuerit, opem, ſponte Deo obedierit, & virtute ſpiritus divini ita fuerit corroboratus & confirmatus, ut Deo perfectiſſimè fuerit confiſus, nec ullum unquam peccatum agnoverit, ſed in perpetua & immutabili ſanctitate vixerit, & mortis atrociſſimum genus potiùs ſuſtinere, quàm a præſtanda Patris ſui voluntate deſiſtere maluerit; nos ejuſdem ſpiritus ope, ſi modò ex animo id velimus, & conemur, Deo confidere & obedire poſſe, non dubitantes vel ignominioſiſſimam & crudeliſſimam mortem ſuſtinere divini nominis causâ, ſi ita ferat Patris noſtri voluntas. Quamvis enim Chriſto hac in parte pares prorſus eſſe nullo modo poſſimus, (nec enim tanta nobis adeſt illius divini ſpiritus copia, quanta Chriſto conceſſa fuit) tamen cùm Deus pro ſua infinita clementia non plus a nobis requirat, quàm præſtare re vera poſſimus, & in eo obedientiæ genere acquieſcat, quæ, omni peccatorum jugo excuſſo, nos habitu

Rom. 11.

Chriſti.

Christianarum virtutum excultos, ad eminentissimumq; perfectionis gradum aspirantes reddit, satis ex Christi exemplo ad nos redundat emolumenti. Quod si Christus aliter ad gloriam suam pervenire non potuit, (potuit autem & debuit, si naturâ Deus fuit) quàm si Patri obediret usq; ad mortem; nec nobis aliam viam esse quærendam, sed huic insistendum, hanc calcandam, in hac ad extremum usq; vitæ terminum perseverandum constat. Deniq; verum manet & inconcussum, stante nostra sententia, quòd, sicut Christus, qui nullam aliam essentiam quàm humanam habuit, quamvis alioqui dignitate & donis cælestibus non tantùm homines, sed angelos ipsos superaret, non propria virtute, sed virtute divina Patris sui est excitatus, ille, inquam, qui perinde fuerat mortuus, ut omnes homines mori solent, ita ut naturâ ipsius inspectâ, nulla spes naturaliter esse potuerit de ipsius in vitam reditu, a mortuis excitatus, immortalis & beatus evasit: ita & omnes, qui ipsius vestigiis institerint, & viam hanc, quâ ipse prior ambulavit, fuerint ingressi, etiamsi moriantur, virtute divina resuscitari possint, imò omnino sint ad beatam immortalitatem resurrecturi; partim quòd fieri non possit, ut hæc via, quam Christus nobis præmonstravit, & quâ ipse in cælum delatus est, aliò nos ducat, ac deducat, quàm nostrum Ducem; partim quòd in manu ipsius Christi tota nostra fælicitas & salus æterna jam sit collocata, qui nostri oblivisci non potest, nec nos a mortuis non resuscitare, nisi sui ipsius & suæ gloriæ, quæ hîc apparitura est maxima, & charitatis, quam erga nos, dum adhuc peccatores essemus, tradito se ipso in mortem pro nobis, testificatus est, nisi deniq; conjunctionis illius arctissimæ, quæ est inter ipsum & eos, quos fratres suos appellat, oblivisci velit. Quare invehatur in nos quoad velit adversarius, nosq; in verum Deum, & in unigenitum filium ejus credere, quoad libet, negare pergat, jamq; judicatos esse, quia ipsius opinioni non assentiamur, ad ravim usq; ingeminet: nunquam tamen vel cuiquam pio & candido rerum æstimatori id persuadebit, vel nos a tam sancta fide & confessione nostra deterrebit. Gloria enim Dei & Christi vera vitâ nostrâ, imò ipsa salute animæ nobis antiquior esse debet. Nos verò malum malo rependere nolumus: sed Carmelitæ ex animo precamur, ut ab aliis condemnandis desistat, & persuasum habeat, non condemnandis aliis, sed veritatis divinæ, & pietatis, quæ huic perpetua comes est, commendatione, divinam & Christi gloriam promoveri; ac proinde ut ex animo resipiscat, & veritatem, quam hactenus oppugnavit, am-

 plexus,

plexus, illi promovendæ se totum unà nobiscum consecret. Ac licet ipsum Carmelitam nos in gravi errore versari persuasum habeamus, is tamen cùm ejusmodi sit, qui salutem per se non adimit, condemnare eum ob hunc errorem nolumus.

Supersunt ultima hujus Conclusionis verba, quæ insidiosam auditorum adhortationem complectuntur. Videntur enim quidpiam continere, quod improbari nequeat, cùm tamen vix quidquam sit, quod probari simpliciter debeat. Dum enim monet, ut credamus, quod Scriptura docet, hoc quamvis primo obtutu laudabile videatur, ex sensu tamen Carmelitano acceptum parùm laudabile est. Nec enim temerè Ecclesiam scripturæ anteponit, eamq; insidiosè cum Scriptura conjungit, & ut Ecclesiæ obediatur, & credatur, quod nobis proponit, primo loco monet: id nimirum scripturam docere sentiens, quod sensus & consensus Ecclesiæ Romanæ ipsâ contineri opinatur, quamvis revera hoc in ea neq; expressè legatur, neq; ex ea legitimè derivari queat. Nobis autem certum est, nec quamcunq; Ecclesiam, nec in omnibus, nec semper, nec absolutè audiendam esse; nullumq; eam jus habere ad præscribendum regulas fidei: sed ipsam potiùs, si vera Christi Ecclesia audire velit, secundùm normam Sacræ scripturæ fidem & vitam suam conformare debere, persuasum: solas autem sacras literas, ad fidem, pietatem, & immortalitatem ex gratia Dei & decreto consequendam sufficere, minimè dubium. Qua de re, ne nimium simus prolixi, pluribus differere jam nolumus: præsertim cùm sit alibi a viris doctis & piis copiosè & eleganter tractata. Quin nec illud probandum videtur, quòd *credendum nobis esse in nomine Spiritus Sancti*, non minùs a scriptura doceri, quàm ab Ecclesia proponi, affirmare videatur Carmelita, cùm tamen nusquam in sacris litteris hoc scriptum reperiatur; nec quisquam vir sanctus credidisse *in nomine*, aut *in nomen Spiritus Sancti*, vel *in Spiritum sanctum*, expressè legatur. Nam in loco Matth. 28. solùm scriptum legitur, baptizandos esse discipulos in nomen non tantùm Patris & Filii, sed etiam Spiritus sancti. Sed cùm nos hunc loquendi modum *credere in Spiritum sanctum*, quem in Symbolo etiam, quod Apostolicum vocant, plæriq; ab Apostolis relictum esse censent, rectè & secundùm scripturæ sensum explicatum, admittere salva veritate possimus, & in hanc Triadem, si ita eam appellare libet, quam Christus hoc loco apud Matthæum expressit, hoc est, in nomen Patris, Filii, & Spiritus S. credere; non est necesse, ut de hac re litem ipsi pluribus moveamus.

Subjun-


Subjungit tamen Carmelita coronidem : *Tunc applauserunt omnes, & D.* SLUPSKI ARCHIDIACONUS WLADISLAVVIENSIS, *incœpit, & cæteri prosecuti sunt : Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. quo dicto discesserunt.* Habeat sibi sanè Carmelita suorum applausum, quem unicè venatur, canat quàm magnificentissimè triumphum, eoq; se quoad velit consoletur, dummodo penes nos sit lux veritatis, quâ nos unicè gaudemus. penes hanc enim, quantumvis nos ejus professores opprimamur, & lapidandi censeamur, certissima manebit victoria. Domino gloria, nobis confusio.

Interim tamen meminerit lector, hymnum hunc, quem omnes cecinisse ait Carmelita, nec e sacris literis esse petitum, nec ipsis ullo modo congruum. Nam Deo quidem & Christo, seu Patri & Filio, gloriam & adorationem tribui, in sacris litteris legimus: at Spiritui S. nusquam, quemadmodum nec invocatio tribuitur: quia videlicet nõ sit persona divina, a Patre distincta, sed virtus ipsius singularissima, in ipso residens naturaliter, quemadmodum Spiritus hominis est in homine. Vnde illa verba, quæ habentur in Missali Cracoviensi anno 1510 edito : *Notandum, quòd omnis oratio dirigitur ad Patrem vel Filium, nulla autem ad Spiritum sanctum. Quia Spiritus sanctus est donum: & a dono non petitur donum, sed a largitore doni. Vnde ad Patrem & Filium dirigitur oratio omnis doni datorem, & non ad Spiritum sanctum qui est donum.* Hinc factum est, ut non raró in sacris literis, ubi Dei, & Christi, imò etiam Angelorum, & aliquando omnium Sanctorum, in summis ac præcipuis rebus fit mentio, Spiritus S. omittatur. quod fieri nulla ratione potuisset, si esset persona peculiaris a Patre & Filio distincta, ut Ioan. 17. v. 3. Et in omnibus ferè initiis Epistolarum Apostolicarum, & 1 Tim. 5. v. 21. & 2 Timot. 4. v. 1 Hebr. 12. v. 22, 23, 24, Apoc. 3. v. 5. Nec obstat, quòd alibi Spiritus S. unà cum Deo & Christo distinctè commemoretur. hujus enim rei vera & elegans ratio afferri potest, quamvis Spiritus S. non sit persona : at nulla unquam causa afferri potest, sine petitione ejus quod in principio, cur Spiritus S. toties sit omissus, ubi omnes divinæ personæ, illisq; adjuncti Angeli, & homines Sancti commemorantur, si Spiritus S. est persona a Patre distincta. Quis enim meritò mirari potest, si vis atq; efficaciæ Dei singularis simul cum ipso Deo, & cum Christo, per quem Deus illam sub N. F. uberrimè exerit, quàm sæpissimè fiat mentio, eiq; eadem tribuantur, quæ ipsi Deo & Christo tribuuntur, ipsorumq; sunt maximè propria? Quis ex eo, quòd vis atq; efficacia Dei, ab ipso Deo non separetur,

paretur, audebit concludere, ipsam vim & efficaciam esse personam divinam, ab ipso Deo, cujus vis & efficacia est, & a quo emanat, distinctam? Pater est primus auctor, primumq; principium religionis Christianæ, atq; ultimus ejus finis: Filius est is, in quo illa proponitur & explicatur, & per quem initium, progressum, & finem suum habet: Spiritus sanctus ea res est, sine qua nec quidquam istorum fit, nec ii, qui Christianam religionem amplectuntur, in illa perseverare possunt. Fac enim non exeri a Deo vim atq; efficaciam istam singularem in humanum genus, quâ ejus ineffabilis benignitas erga ipsum, illudq; beata immortalitate donandi consilium, patefiat atq; confirmetur, & in ipsis cordibus obsignetur, certè vel nulla religio existet, vel suo fine planè frustrabitur. Iure itaq; Christus, cum Apostolis suis in universum orbem missis, discipulos facere præcepisset, ut eosdem baptizarent in nomen Patris, Filii, & Spiritus sancti, hoc est, instituerent & initiarent doctrinâ de Patre, Filio, & Spiritu sancto, mandavit: quamvis nec Spiritus sanctus sit persona, nec Christus ille unus Deus; nec hi tres simul, & singuli ipsorum, sint tres in unica & individua essentia divina, sibi per omnia æquales ac distinctæ personæ. Quare non semper est tutum obedire Ecclesiæ, & credere quod ipsa proponit: sed soli Christi & Apostolicæ doctrinæ, sacris literis comprehensæ confidere, eiq; planè inniti, tutissima & compendiosissima ad veritatẽ perveniendi, in eaq; persistendi via est. Quam nos ingressi Dei beneficio, non Ecclesiæ, sed scripturæ auctoritatem secuti, (applausu & triumpho neglecto) canamus læto animo, & clarissima voce:

Sedenti in throno, & agno, qui fuit occisus, sed jam vivit in sæcula seculorum, sit laus & gloria in æternum. Amen.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0026777

[illegible]	251	1	—
[illegible]	1900	5	—
[illegible] Batist	2100	6	9
[illegible]	230	—	15
[illegible]	1115	2	12 15
[illegible]	115	—	7
[illegible]	1600	6	16
[illegible]	330	—	17 15
[illegible] Mouss[illegible]	315	—	10
[illegible]	312	—	15
[illegible]	1600	8	16
[illegible]	644	2	—
[illegible]	638	1	15
[illegible] Mouss[illegible]	1200	2	12
[illegible]	761	2	8
[illegible] Batist	714	1	16
[illegible]	1018	3	—
[illegible]	300	4	—
[illegible]	715	1	16
[illegible]	1112	4	9
[illegible]	3820	9	—
[illegible] Serviette	8100	2	5
[illegible]	6600	17	[illegible]
[illegible]	1900	[illegible]	[illegible]
[illegible]	1610	[illegible]	[illegible]
[illegible]	1250	3	[illegible]